PII VI. PONT. MAX.

ACTA

QUIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE CALAMITATIBUS

IN GALLIA

CONSULTUM EST

VOL. II.

ROMAE

TYPIS SAC. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

TAURINI	**PARISIIS**
APUD P. H. F. MARIETTI	**APUD VICTORIUM PALMÉ**
Typogr. Pont.	Rue Grenelle S. Germ. 25.

MDCCCLXXI.

PII VI. PONT. MAX.

ACTA

QUIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE CALAMITATIBUS

IN GALLIA

CONSULTUM EST

> **Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum.**
>
> *Eccl. I,* 9.

VOL. II.

ROMAE
TYPIS SAC. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE
SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.
MDCCCLXXI.

I.
EPISTOLA ENCYCLICA

Qua generalis norma per omnem Statum Pontificium edicitur observanda, relate ad Ecclesiasticos Gallos, tam Saeculares, quam Regulares, qui eo emigrarunt (1).

Ex iis, quae, de hospitalitate ecclesiasticis Galliae exsulibus a Sanctissimo Domino Nostro indulta, saepius a me ad N. N. praescribenda fuerunt, satis perspectum est, eundem Sanctissimum Dominum eo ipso tempore, quo archiepiscoporum, episcoporum et regularium, aliorumque in pontificio Statu piorum locorum ardenti in re tam gravi studio atque amore mirifice delectabatur, numquam praetermisisse omnino, in conditionem moresque eorum exsulum quam solertissime inquirere, ut nempe a Sanctuario, quidquid pravi irrepere posset, arceretur; et eorum, qui victum illis receptumque amanter praebent, providere tranquillitati, quam fieri poterat aptissime; ac demum necessariam habere rationem iustae distributionis onerum, quae incumbere non sineret dilectis subditis suis, nisi gravioribus religionis causis inductus ad id fuisset.

(1) Hanc Epistolam ex italico in latinum idioma transtulit I. A. Z. S. Theol. et I.U. Doctor, natus in Dioecesi Tridentina. *(Not. Edit. an. 1800.)*

Nihilo tamen minus, cum rectus ordo consentientem poscat suscepti consilii rationem, voluntas est Sanctissimi Domini Nostri, ut quae singula circumspecte agenda sunt, ea in unam coniungantur generalem normam; in qua archiepiscopi, et episcopi in sua quique dioecesi, dein regulares quoque totum id, quod ad curandos ab iisdem, regendosque novos hospites pertinet, haberent propositum.

Eum igitur in finem ordinat Sanctissimus Dominus Noster:

1. Ut quavis in dioecesi accurata conficiatur, atque ad hoc Secretarii status tabularium mittatur descriptio omnium ecclesiasticorum Galliae exsulum, qui in ea degunt, tam saecularium quam regularium, expresso singulorum proprio nomine, cognomine, patria, aetate, conditione, adiecta pro ecclesiasticis saecularibus dioecesi, ad quam in Galliis pertinent, et ubi obierant ministerium suum: pro regularibus indicato instituto, quod professi sunt, provincia, cui erant adscripti, ac religiosa domo, de cuius familia exstiterant; de utrisque vero significetur locus, monasterium, aut conventus, in quo nunc versantur, secundum formam encyclicis hisce litteris adiacentem. Eadem descriptionis occasione conferenda sunt documenta cuiusque, et litterae commeatus, quibuscum ad dioecesim, in qua nunc sunt, pervenere, in cancellaria episcopi sunt asservandae.

2. Ut omnes ecclesiastici tam saeculares quam regulares, qui ex Galliis emigrarunt, quando ingressuri sunt diversorium sibi assignatum, aut eo iam occupato, post promulgatam hanc encyclicam epistolam teneantur edere consuetum iuramentum cum professione fidei a Pio IV praescripta, ac praeterea iurare, manusque suae subscriptione confirmare formularium Alexandri VII huc transcriptum commoditatis gratia:

Ego N. *constitutioni apostolicae Innocentii X datae die 31 Maii 1653, et constitutioni Alexandri VII datae 16 Octobris 1656 Summorum Pontificum me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo reiicio, ac damno, et ita iuro. Sic me Deus etc.* Qui idem mos in multis Galliae dioecesibus invaluit, viguitque adhuc; estque haec mens Sanctissimi Domini Nostri, ut istiusmodi actus peragatur coram Ordinario cuiusque dioeceseos, aut coram Vicario generali, aliove viro ecclesiastico cuius explorata doctrina est, quem Ordinarii vice sua ad id delegare poterunt.

3. Ut ne cui horum exsulum ex dioecesi sibi assignata, absque expressa Ordinarii facultate, exire liceat, neque quisquam Romam venire possit, sine litteris commeatus ab hoc Secretarii Status officio impetrandis per ordinarium, sub quo degit. Huic ipsi vero Sanctissimus Dominus Noster impertit potestatem relaxandi, atque in alia pia opera commutandi votum visitandi sacra Limina. Quod si quis in alterutro ex his, quae modo vetita sunt, contra fecerit, censeatur pro omni tempore renunciasse cuivis in Statu Pontificio receptui; ex quo proin auferre se compelletur. Immoderatus atque impatiens impetus, quo nonnulli ad urbem metropolim accurrerunt, generalem hanc pro omnibus extorquent legem; neque vir sapiens eandem aut rigidam nimis, aut intempestivam existimabit.

4. Si quis eorum profectus sit, aut ex dioecesi, in qua fuerat receptus, pedem extulerit, eius Ordinarius celeriter id ad Secretarium Status referat. Quod ipsum observetur, si quis oppetierit mortem. Quam-

obrem expediet, ut isti exsules quovis bimestri, ordinario, eiusve generali Vicario, aut si longior distantia incommodum pariat, viciniori vicario foraneo se sistant.

5. Ut similiter compareat quivis, pro edendo specimine caeremoniarum missae, coram viro ecclesiastico ad id designato per ordinarium. Quae quidem cautiones, cum ab augustissimo Mysterio profanationis periculum removeant, profecto nemini bono molestae videbuntur.

6. Ut ad tempus quod attinet, reficiendi corpus, domumque redeundi vesperi, adstrictos se norint ad horas aliasque ordinis rationes eius monasterii vel conventus, in quo commorantur, pro frequentando diurno choro, et aliis, quibus Ecclesia eget, exhibendis servitiis; cum sanctissimus Dominus eum in finem concesserit ipsis facultates accommodandi se in divino officio recitando ei loco, in quo degunt, ejusdemque directorio in celebrandis missis.

7. Etsi satis cognita sit regularium charitas, qua ecclesiasticos exsules acceperunt adhuc, habueruntque; tamen episcopi non cessent ullo modo hosce illis quavis data opportunitate commendare, et instare hortationibus, ut laudabile opus in posterum prosequantur, neque id regulares tantum, sed alii quoque omnes tam ecclesiastici, quam saeculares.

8. Ut presbyteris exsulibus missarum stipendia facilius comparentur, valeant eorum Ordinarii attribuere iisdem ad celebrandum ea, quae tempore visitationis adhuc retardata invenerint, aut inventuri sunt: dein et permittere, ut quibus, ob ingentem numerum, in Ecclesiis vel altaribus a fundatore aut benefactore designatis, satisfieri cunctis haud posset, ea ab iis Sacerdotibus expleantur in Ecclesia monasterii, in quo vivunt; cum Sanctissimus Dominus eo consilio conces-

serit, ut privilegia et indulgentiae designatis Ecclesiis vel altaribus adnexae prorogentur ad Ecclesias et altaria, in quibus ii presbyteri ex tali Ordinariorum dispositione istiusmodi missas celebrabunt.

9. Ut episcopi earum dioecesium, in quibus nulla suppetit, aut exigua ratio colligendi pro exsulibus presbyteris eleemosynas missarum, convenire queant aliarum episcopos dioecesium, quae iisdem abundant, sacram etiam Lauretanam domum, aliaque loca sancta, quae in Pontificio Statu sunt; a quibus si talia subsidia conferantur in dioeceses, quae illis egent, gratum id Sanctissimo Patri accidet. Ac si ne his quidem conatibus effici poterit, ut istiusmodi eleemosynae pro dictis presbyteris obtineantur, convertere se valeant episcopi ad Secretarios congregationum Visitationis apostolicae, et Fabricae S. Petri, qui hac ipsa de re nomine Sanctitatis Suae, ut par est, certiores iam redduntur.

10. Ut in domibus religiosis, in quibus vi instituti, aut per constitutionem apostolicam, ne exteris quidem, qui ibi morantur, carnes apponi ad corporis refectionem possunt, liceat episcopis impertire facultatem, eas pro victu subministrandi ecclesiasticis saecularibus, qui ex Galliis eo commigrarunt.

11. Liberum sit Ordinario, pro sua prudentia definire modum, quo applicatio missarum, quae fient ab illis presbyteris, conciliari queat et cum ipsorum pro vestitu rebusque aliis indigentia, et cum statu monasterii, aut conventus, a quo recepti sunt. Ipse pariter Ordinarius dispiciat, quibus maxime rationibus eosdem ad utilitates suae ipsius dioeceseos possit convertere.

12. Nullus omnino, etsi *in sacris* constitutus iam sit, ad ulteriores ordines promoveatur absque testimonio proprii episcopi, et expressa licentia sanctis-

simi Domini Nostri per hanc Secretariam Status impetranda. Qua ipsa via obtineri poterit, ut si nullae penitus exhiberi queant litterae testimoniales, quod contingere aliquando potest, Sanctitas Sua eum defectum convenienter suppleat. Atque haec etiam de clericis intelligenda sunt, qui sacris initiari primum avent.

13. Ut si confessarii desint linguae periti, episcopus concedere valeat, ut alter alteri confiteatur, delectis iis, quibus maxime confidi posse videbitur; qui tamen idoneos esse se, examine comprobare tenebuntur.

14. Si in numero ecclesiasticorum Galliae exsulum saecularium vel regularium, qui perfugium nacti sunt in Pontificio Statu, tales invenirentur, qui extremo infortunio suo iuramentum civicum praestitissent, hi pro absolutione a censuris ac dispensatione in irregularitate impetranda, episcopis, aut generalibus vicariis dioecesium, in quibus degunt, se sistant, exponantque, quantopere ipsos commissi poeniteat, utque id re comprobent, tria conficiant formalis retractationis exemplaria, quorum unum penes cancellariam ecclesiasticam maneat, alterum mittatur ad municipalitatem loci, cui iureiurando suo offensioni fuerunt, tertium vero ad partitionem *(département)* respectivi districtus, obtestando et hanc et illam, ut retractatio inseratur actis, et in publico proponatur. His primum actis, pleneque observata hac forma, quae remitti nullo modo possit, episcopi, aut eorum vicarii generales ad absolutionem a censuris procedere valeant; nempe relate ad illos ecclesiasticos Galliae, qui id iuramentum ex humana imbecillitate praestitisse videbuntur, eoque praestito abstinuerunt ab omni actu publico schismatis, ac reveriti sunt vim censurarum, quas incurrerunt, verique ac constantis doloris praebuerunt indicia. De iis vero ecclesiasticis, qui ad la-

psum iuramenti civici contemptum censurarum, quibus implicuere se, addiderunt, easque subsecuto ordinum exercitio violarunt, aut plane exstiterunt intrusi, decernit Sanctissimus Dominus Noster, ut ii, posteaquam poenitentiae signa minime dubia exhibuerint, totumque id, quod supra praescriptum est, explerint, ab episcopis, aut eorum vicariis similiter a censuris quidem absolvi queant; sed vult praeterea, ut in poenam violationis censurarum, aut intrusionis, antequam Episcopi, eorumve Vicarii ad dispensandum in irregularitate progrediantur, aliquanto tempore ab iisdem Episcopis, aut Vicariis moderate definiendo, ab ordinum exercitio suspensi maneant.

15. Porro quemadmodum praefixa iam lex est, ut omnes regulares, qui ex Gallia migrarunt, ad Monasteria vel Conventus se referant eorum Ordinum, quos ipsi professi sunt, idcirco operam dent Archiepiscopi et Episcopi, ut re cum Superioribus singulorum Ordinum communicata, id sollicite servetur perfecteque, si quis forte, qui nondum obsecundasset, in eorum dioecesibus reperiretur. Convenienter huic regulae deliberata est Sanctissimi Patris voluntas.

16. Ut pro admissione, cum nota sit eorum conditio, nihil pecuniae exigi possit, neque pro primis, ut in usu est, expensis, neque ex assignatione annuorum cuiusquam redituum. Verum superiores cuiusvis Monasterii aut Conventus fraterna charitate moderationeque religiosa, de vestitu rebusque aliis, quibus egent hi advenae, eodem illis provideant modo, ac aliis quibuslibet, qui de Religiosa Familia sunt, providere solent; si tamen, quod praesumitur, non omittant ipsi quoque hospites ex parte sua conformare se applicatione missarum ad introductum ordinem, quem de monasterio, vel conventu tenent alii, in quorum convictu sunt.

17. Ut hi exsules adstricti praeterea sint ad regulas, et consuetudines cuiusvis monasterii et conventus, etsi discrepent a moribus monasteriorum, conventumve, in quibus professionem ipsi emiserunt.

18. Ut proinde in omnibus, ac per omnia accommodare se debeant stato ordini temporique surgendi e lecto, adeundi ad Chorum, ad mensam, relaxandi animum etc., perinde ut Religiosi alii de monasterio vel conventu, a quo recepti erunt.

19. Neque singulare quidquam in refectione aliisve rebus possint exigere, sed ea humanitate, charitateque, quae aliis eiusdem religionis fratribus impenditur, contenti esse debeant.

20. Ut invigilent superiores omni cura, ne qui distineri se sinant supervacaneo litterarum commercio, animoque distrahi, frequenti alios ac saecularium praesertim domos visendi studio.

21. Ut si monasterii cuiusdam aut conventus confessarii imperiti sint Gallici idiomatis, superior ex ipsis religiosis exsulibus deligat, quibus maxime confidere se posse credet, adstringendo eos ad examen, quo se idoneos probent.

22. Ut regulares Galliae exsules, qui provisorie tantum recipiuntur, moleste ferre non debeant, si in actibus capitularibus et electionibus careant voce activa et passiva, nisi expressa habeatur facultas sanctissimi Domini Nostri per hanc Secretariam Status impetranda, et ipsi instent Superiores. Nihilominus adhiberi ad ea officia possunt, quae ab eorundem pendent dispositione Superiorum.

23. Ut professi laici pari hospitalitatis officio recepti in monasteriis et conventibus defugere non possint munera, quae ipsis imponentur.

Denique perspecta sollicitudo, diligentiaque N. N. in id intenta erit, ut hae pontificiae ordinationes ple-

num in dioecesi effectum consequantur, utque omnes Ecclesiastici Galliae exsules tam saeculares quam regulares, qui in ea receptum obtinent, perinde ac ipsae communitates religiosae certam earum accuratamque notitiam habeant, et sic nemo umquam ignorantiae excusatione uti valeat. Atque ita etc.

Romae XXVI Ianuarii MDCCXCIII.

II.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 28 Februarii 1793.

Precibus R. D. Richard Parochi dioecesis Nemausiensis, qui in hac Galliae perturbatione, ne civicum iuramentum praestaret, neque communicaret filiis alienis, quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis, a patria ac dioecesi profugus, Sanctitatis Suae beneficio Ravennam se recepit, supplicantis SSmo Domino Nostro, ut concives suos omnesque fideles eiusdem dioecesis Nemausiensis spirituali Indulgentiarum solatio in tantis, in quibus versantur, angustiis recrearet, Sanctitas Sua, quae nihil magis optat, quam constantes catholicae Ecclesiae filios in hac temporum acerbitate paterno amore complecti, huiusmodi precibus benigne annuens, ad mei infrascripti relationem, omnibus et quibuscumque Christi fidelibus dioecesis Nemausiensis, qui nec iuramenti civici foeditate se polluerunt, neque alienum atque intrusum pastorem sequuti, communionem catholici Antistitis ac vicariorum eius semper retinuerunt, clementer indulget, ut quotiescumque, si gnari legere, Litanias maiores quas appellant Sanctorum cum omnibus precibus adnexis, si vero legere nesciant septies orationem Dominicam et salutationem Angelicam atque una vice

symbolum Apostolorum recitaverint, ac devotas ad Deum preces effuderint pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, toties Indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum; eo vero die quo iisdem precibus recitatis sacramento Poenitentiae se purgaverint, et Eucharistiae sacramento se refecerint, Indulgentiam plenariam ex Ecclesiae thesauro consequantur. Hoc autem indultum per legitimum Episcopum Neumausi, vel per aliquem ex eius vicariis communionem Sedis Apostolicae habentibus iussit exsequutioni mandari, nec alias, nec alio modo, ac per annum tantum valere.

Gaudeant igitur et fruantur fideles Nemausienses spirituali hoc meritorum Iesu Christi ac Sanctorum eius praesidio, ac recogitent qualem Ipse fidei Nostrae auctor sustinuit a peccatoribus contradictionem, ne animo deficiant; sed scuto fidei, lorica spei, tegumento charitatis induti per patientiam currant ad propositum sibi certamen. Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, si enixis precibus eius misericordiam imploremus, ut nec nos deserat in tempore malo, nec adversarios nostros conterat in die indignationis suae; sed potius respiciat in beneplacito suo, et convertat a viis suis pessimis, ut uno ore omnes glorificemus Dominum Nostrum Iesum Christum, qui fecit nobiscum misericordiam suam.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propagande Fide die IX Martii MDCCXCIII.

L. Card. ANTONELLUS *Praef.*

III.

DILECTIS FILIIS

PRAETORI ET SENATUI

Pagi Friburgi Ecclesiasticae Libertatis defensoribus

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Valde gaudemus, dilecti Filii, quod vobis iam agere debeamus gratias, ante scilicet quam Nostra ad vos studia pro Presbyteris Gallis, commendationesque perferrentur. Magno illi numero ad catholicos Helveticos confugerunt, ac praesertim apud vos tutum exsilii sui locum constituerunt. Vos enim vestra sponte et Episcoporum aliquot, et presbyterorum miserati statum, in quem ob religionem, relicta domo bonisque amissis, deciderunt, eosdem amanter suscepistis, iuvistis, fovetis ac in vestrae pietatis asylo retinetis. Hoc vestro beneficio tamquam in Nos collocato mirifice commoti sumus, Dilecti Filii, excitatique ad declarandam vobis gratissimam voluntatem Nostram, ac ad vos Pontificio hoc laudis praeconio in Domino exornandos. Nihil enim facere Nobis hoc tempore acceptius potuistis, nihil quo animorum vestrorum humanitatem illustrius comprobaretis, quam hac ipsa publica liberalitate vestra, qua, pro Dei causa fugam e patria capientes, maximisque calamitatibus obiectos, vestra ope sublevare ac recreare non dubitastis.

Quas vobis idcirco gratias persolvimus, easdem etiam ceteris catholicis Pagis in hac re praeclare meritis deferri mandamus Apostolico Nuntio, Nostroque

nomine omnes ob tam egregium factum collaudari. Quod vos etiam iisdem testari, et confirmare poteritis. Officium hoc Nostrum certi sumus, dilecti Filii, quoad vos omnes, eo etiam valiturum esse, quod in posterum, etsi per vos ipsos maxime sitis ad tuendum hoc vestrum decus excitati, tamen magis adhuc inflammati eritis ad vestra erga Nos cumulanda merita, ad prosequendos scilicet et amplificandos christianae charitatis actus in aerumnosissimos illos Nostros Fratres et Filios, quos Vobis etiam atque etiam non sine summa vestrae pietatis fiducia commendamus. Precamur omnipotentem Deum et Dominum Nostrum Iesum Christum, ut vos ipse caelestis suae gratiae largitate muneretur, vobisque Apostolicam Benedictionem Divinarum Benedictionum omnium auspicem, ex intimo paterno corde depromptam, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XX Aprilis MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

IV.

F. X. CARDINALIS DE ZELADA

EPISTOLA

AD EPISCOPUM LUCIONENSEM.

Perlatae sunt sanctissimo Domino Nostro Amplitudinis tuae litterae cum litteris, quas Lucionensis Dioecesis parochi ad te transmiserunt. Ex his incredibile dictu est quanto Sanctitas Sua superabundaverit gaudio in omni tribulatione fidelium Lucionensis dioecesis, audiens eorum fidem ac studium in catholica Religione tuenda, nec non patientiam in perferendis malis, quibus luctuosissimis hisce temporibus ipsi

affliguntur. Hinc, ut quantocitius fieri posset, eisdem fidelibus opitularetur, atque petitionibus tuis satisfaceret, eas selectae Cardinalium Congregationi examinandas commisit: quae autem a praefata Congregatione decreta sunt, ac probata ab eadem Sanctitate Sua, Amplitudini tuae me significare mandavit.

Exponis itaque non ita pridem a nationali Conventu conditum decretum fuisse, quo praescribitur, matrimonia in posterum in Regno Galliarum celebrari debere coram Municipalitate, sive coram officiali a Municipalitate delecto; a Municipalitate vero, seu a praememorato officiali recipi coram quatuor testibus debere declarationem a futuris coniugibus emittendam sub hac forma verborum: *Declaro me sumere* N. N. *in matrimonium;* qua declaratione vicissim a duobus coniugibus facta, ab officiali publico pronunciandum esse, eos in nomine Legis coniunctos fore: praefato autem Nationalis Conventus decreto nihil cautum esse ais circa formam a Tridentino Concilio praescriptam, quae profecto, si nihil aliud obstaret, in vim tantummodo praememorati Decreti observari adamussim posset.

At formam a praelaudato Tridentino Concilio praescriptam pro coniugiis ineundis, in ea parte, quae respicit parochi praesentiam, observari modo non posse a maiori parte fidelium dioecesis Lucionensis moleste fers, propter legitimorum parochorum deficientiam: qua ex re mala et incommoda gravissima oboritura praevides. Hinc, ut praememorati Lucionensis dioecesis fideles in circumstantiis adeo luctuosis constituti, liberi declarentur ab observantia decreti Tridentini Concilii pro coniugiorum celebratione, primum animadvertis, non posse certo statui, notissimum Concilii Tridentini decretum, quod legitur *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1,* publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum

Ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post triginta dies a publicatione facta incipiat obligare.

Sed de hoc ne Tu quidem nimis instas, quoniam non magni momenti esse probe agnoscis: illud potius urges, et conficere conaris, quod posito etiam Tridentini Concilii decretum fuisse in singulis Galliarum Paroeciis publicatum, non idcirco nulla ac irrita censeri deberent matrimonia sine parochi praesentia contracta iis in locis, in quibus parochi praesentia haberi non possit. In cuius rei confirmationem, et clarissimorum virorum testimonia profers, et auctoritatem potissimum Sacrae Congregationis Concilii. Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, satisfieri menti Tridentini Concilii celebrando matrimonium coram testibus, ubi Parochi praesentia haberi nequeat. Ex quo inferre Te posse arbitraris, valida censeri debere matrimonia sine parochi praesentia celebrata ab iis fidelibus Lucionensis dioecesis, qui parocho carere coguntur, quoniam in vim praememorati Decreti Nationalis Conventus, matrimonia contrahi debent coram municipalitate, seu officiali ab ipsa municipalitate delecto; quodque multum interest ad id, de quo agitur, etiam coram quatuor testibus.

Haec summa est eorum, quae in Tua Epistola continentur, atque ferme haec ipsa complectitur Epistola, quam Lucionensis dioecesis parochi ad Te transmiserunt.

Ut igitur iis omnibus, quae proponuntur, opportunum daretur responsum, haec, quae sequuntur, a praefata Cardinalium Congregatione constituta fuerunt.

1. Frustra quaestionem modo moveri, num Tridentini Concilii decretum publicatum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut ma-

trimonia celebrentur coram Parocho, et duobus vel tribus testibus tamquam in exsecutionem Decreti Concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. Congregatione Concilii die 26 Septembris anni 1602, quae refertur lib. 10 Decretorum pag. 47: *Publicationem praesumi, ubi id Decretum fuerit aliquo tempore in Parochia tamquam Decretum Concilii observatum;* idemque statutum legitur in alia resolutione diei 30 Martii anni 1669.

2. Lucionensis dioecesis fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate, aut coram officiali a municipalitate selecto. Cum enim tum ii, qui municipalitatem componunt, tum officialis a municipalitate electus, sint publici functionarii, ut aiunt, iuramentum a Conventu nationali praescriptum emiserint necessum est; quapropter tamquam schismatici, aut ad minus tamquam schismatis fautores iure merito reputantur. Ex his autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate, seu coram officiali a municipalitate delecto, ne ulla schismatis contagione polluantur.

3. Curare idcirco fideles debere contrahere matrimonium coram testibus et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam municipalitati se praesentes sistant, ut praescriptam a nationali Conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, istorum profecto coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida, et licita erunt, ut saepe saepius declaratum fuit a S. Congregatione Concilii Tridentini interprete.

4. Nihil tamen impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a

nationali Conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.

5. Demum in praefata declaratione facienda prae oculis habere debere saluberrimas regulas, quae ea de re leguntur in Instructione iussu Sanctitatis Suae exarata die 26 septembris anni 1791 super quibusdam quaestionibus a Galliarum episcopis propositis (1).

Atque haec quidem, cum praefatae particularis congregationis Cardinalium, tum etiam maxime Sanctitatis Suae nomine Amplitudini Tuae significanda habui, dum ego meo nomine observantiae meae testimonium Amplitudini Tuae defero, perennemque tibi a Domino felicitatem precor.

Romae ex aedibus Vaticanis die XXVIII Maii anno MDCCXCIII.

F. X. Card. de Zelada.

V.

ACTA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

IN CONSISTORIO SECRETO FERIA SECUNDA DIE 17 IUNII 1793

Causa necis illatae Ludovico XVI Galliarum Regi Christianissimo

Venerabiles Fratres

Quare lacrimae, et singultus verba Nobis non intercipiant? Nonne magis gemitibus, quam ulla voce significandus est immensus ille animi dolor, quem expromere cogimur, dum vobis nunciamus editum Lutetiae, die vicesima prima ianuarii currentis anni, horrendum illud crudelitatis atque immanitatis spectaculum?

(1) Vid. Tom. 1. pag. 226.

Per impiorum hominum conspirationem capitali poena damnatus est Ludovicus XVI rex christianissimus, et iudicium impletum.

Sed quale illud iudicium, quaque peractum ratione fuerit, breviter vobis commemorabimus: nulla illud auctoritate, nullo iure exercitum ab nationali Conventu: is enim abolita praestantioris monarchici regiminis forma (1), publicam omnem potestatem penes populum constituerat, qui nulla regitur ratione, et consilio, nullum rerum percipit discrimen; pauca ex veritate, multa ex opinione aestimat, inconstans, facilis decipi, et ad prava quaeque impelli, ingratus, arrogans, crudelis, qui humano sanguine, qui caede funeribusque gaudet, ac exspirantium poenis, ut in veterum conspiciebatur amphitheatris, ad voluptatem pascitur (2). Ferocior pars huius populi, sui regis imperium detrectasse non contenta, vitam etiam illi eripere cum vellet, eos esse iudices iussit, qui accusaverant ac infensum illi animum aperte declaraverant; iamque in ipso iudicii aditu repente nequiores aliquot evocati fuerant, ut condemnantium numerus ceteris praevaleret. Quem tamen augere non potuerunt, ut proinde

(1) Bossuet, Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture sainte, livre second, article premier, tome VII. des œuvres, page 289. 290. 291. edit. Paris, 1748.

Proposition 7. La Monarchie est la forme de gouvernement la plus commune, la plus ancienne, et aussi la plus naturelle.

Proposition 8. Le gouvernement monarchique est le meilleur.

Proposition 9. De toutes les monarchies la meilleur est la successive ou héréditaire.

Adam. Contzen. Politicor., sive de perfectae reipublic. forma, lib. I. cap. XXI. §. 9. firmat SS. Patres in hanc consensisse sententiam, Iustin. Cyprian. Athanas. Hieronym. D. Thomam etc.; neque vero facile dissentientem invenies etiam ex illis, qui in libera Republica educati honores et magistratus gesserunt.

(2) Contzen. in citat. Oper. cap. XXII. §. X.

rex minori legitimo numero fuerit immolatus (1). Ex tot iniquis perversisque iudicibus, ex tot captatis suffragiis, quid non triste, horridum, omnibusque saeculis exsecrabile timeri, exspectarique poterat? Tamen quoniam tanti facinoris horror multos a scelere deter-

(1) La vie et le martyre de Louis XVI, avec un examen du décret régicide, par M. de Limon, à Ratisbonne 1793. pag. 54. Malheureux! ne rendez pas cette sentence horrible, suspendez cet épouvantable sacrifice: votre compte est une erreur, et cette erreur est le plus grand des attentats. Sur 736 membres, dont les voix doivaient nécessairement être comptées, il fallait 369 voix, pour avoir la majorité d'une seule, et il n'y en a eu que 365, comme l'attestent tous les journaux; par conséquent Louis XVI fut immolé par la minorité. Et que serait-ce donc encore, si sur ces 365 voix, on retranchait celui que la nature et la loi obligaient de se récuser, et tous ces folliculaires forcenés, qui depuis long-temps sollicitaient la mort du Roi comme ses parties adverses, et qui par cette raison ne pouvaient jamais être admis à l'ordonner comme ses juges, et tous les Députés qui ayant opiné pour *la vie*, ont entendu compter leurs suffrages parmi les opinions pour *la mort*, sans oser, comme l'a fait Valazé seul, afficher courageusement dans toutes les places publiques et leur réclamation, et leur démenti formel de l'odieuse infidélité des Sécrétaires, et ces Prêtres imposteurs qui ont apostasié une seconde fois pour devenir des bourreaux; et cet infâme Dupont, qui donnant un démenti aux cieux, à la terre, à la nature entière, à sa propre conscience, ne croit pas, mais professe hypocritement qu'il n'y a point de Dieu. Malheureux! comment croirai-je à ta justice, si tu nies la justice éternelle?

Idem Limon. Examen du décret régicide. Vingt-unième Prévarication, art. 28, pag. 73. Si sur 12 jurés 3 voix suffisent pour la décharge de l'accusé, il en faut donc 10 sur 12, c'est-à-dire les 56 pour le faire condamner, et la Convention a ordonné l'assassinat du Roi à la simple pluralité de 366 voix sur 721. Quoiqu'il eût dans cette hypothèse 234 voix au delà de ce qu'il en fallait pour le sauver. Mais il y a plus. Le Roi a été massacré par la minorité, et je le prouve en relevant les erreurs de leur calcul.

La Convention était composée de 748 membres, y compris la Députation d'Avignon. Un était mort, restait 747. Onze étaient absents par commission, restait 736. Les absents volontaires sans cause, ou sous un prétendu prétexte de maladies, ceux qui n'ont pas opiné, n'ont pas voulu évidemment voter pour la mort; et le

ruerat, magna inter suffragantes exorta concertatione, iterum ad suffragia ferenda devenire visum est; quorum exitum, etsi ex coniuratorum sententia fuerit, legitimum esse pronunciarunt. Multa hic alia praetermittimus contra ius acta, ac nulla prorsus atque irrita, quae in augustissima patronorum defensione (1), ac in publicis passim foliis legi possunt. Omittimus quoque, quae ante supremum supplicium subire ac pati coactus rex fuit. Diuturnam nempe in permutatis carceribus custodiam, ex qua non nisi ut ad Conventionis cancellos sisteret, interdum ducebatur: illatam eius confessario mortem: a carissima regia familia segre-

Sr. Castel, qui s'est fait porter dans l'Assemblée tout malade qu'il était, pour demander le bannissement, en est la preuve. Or sur 736 membres, il fallait 369 voix pour avoir la majorité d'une seule, et il n'y en a eu que 366, comme attestent tous les journaux. Et que serait-ce donc encore, si sur ces 366 voix on retranchait, et ce parent dénaturé que toutes les lois obligaient de se récuser, et ces prêtres apostats, et les voix qui, comme celle de Valazé, ont été comptées pour la mort par des sécrétaires infidèles, quoique données pour sauver la vie du Roi, et tous les députés, tous les folliculaires qui avaient manifesté entérieurement une haine pour le Roi, qui devait les exclure de le juger, et l'athée Dupont, qui ne croit point en Dieu, et qui veut qu'on croye à sa justice, et tous ces députés faibles, que les violences et les menaces ont forcé de voter contre leur propre vœu.

Ainsi une minorité de 3 voix a consommé sói-disant légalement, au nom d'une Nation corrompue, ou paralisée, le plus grand des attentats.

Manuel étonné pourtant du réveil de sa conscience, effrayé de ces qu'un si graud et si horrible événement était consommé par 5 voix, dans le calcul le plus favorable au crime, a donné sa démission. Kersaint si violent contre le Roi lui-même, qui avait eu la démance de le déclarer coupable, a suivi l'exemple de Manuel, et la Convention épouvantée de ses remords, pour en arrêter le cours, a fait faire le lendemain un second appel.

(1) Défense de Louis prononcée à la Barre de la Convention nationale par le citoyen Desèze, l'un de ses défenseurs officieux. Imprimée à Paris de l'imprimerie nationale 1792.

*

gationem, ceteraque ad illius aut poenam aut ignominiam aerumnarum genera, ad quae nemo, in quo aliquid humanitatis esset, plane non exhorresceret; cum praesertim nota ac perspecta foret omnibus Ludovici indoles, suavis, benefica, clemens, patiens, amans sui populi, a rigore, a severitate aliena, erga omnes facilis, et indulgentissima; qua factum est, ut ad convocanda regni comitia, quae flagitabantur, induceretur, quaeque in regiam auctoritatem, ac demum in caput suum redundarent. Praeterire tamen non possumus, quae de eius virtutibus omnes ex ipsius testamento perspiciunt, propria perscripto manu, ex intimo sui animi sensu, ac ubique typis evulgato. Quanta in eo virtutis species, quantus fuit in catholicam religionem ardor animi, quae verae in Deum pietatis indicia, qui dolor, quae poenitentia, quod, vel invitus, nomen suum actis disciplinae fideique orthodoxae ecclesiae contrariis adscripserit! Unde in tot adversis magis in dies ingruentibus rebus cum pene obrueretur, ab ipso usurpari potuit Iacobi I Britanniae regis sententia, cum diceret: *Calumnias spargi contra se in tribunitiis concionibus, non quia crimen aliquod designasset, sed quia rex erat, quod omni crimine peius habebatur* (1).

At hic intermittamus aliquantum de Ludovico loqui, ut afferamus potissimum ex historia exemplum, nostro huic argumento plane congruens, quodque luculentis ingenuorum scriptorum testimoniis comprobatur (2).

(1) De Institution. Princip. ad Henricum fil. lib. II. de Offic. Reg. in subdit. §. *Hic e Ministerio*, inter oper. Iacob. Reg. pag. 72. edit. Francofurt. et Lips. ann. 1689.

(2) Spondan. continuat. Annal. Ecclesiast. tom. II. ad an. 1587. a §. 1. ad 6.

Natal. Alexand. Hist. saec. 15. et 16. cap. XIII. art. 6. tom. IX. oper. pag. 242. col. 2. ad fin. edit. Venet. 1778.

Maria Stwarta Scotorum Regina, Iacobi V Scotiae regis filia, et Francisci II Galliarum regis vidua, titulos et insignia regum Angliae cum assumpsisset, quae iam Angli ad Elisabetham detulerant, quantas ab eadem aemula et a factiosis Calvinianis hominibus aerumnas tulerit vel per insidias, vel per vim illatas, plurimi enarrant Historici. Saepe carceribus inclusa, saepe iudicum examini subiecta respondere recusaverat, cum diceret Reginam se soli Deo vitae suae rationem reddere teneri: tandem toties varieque vexata, respondit, obiecta diluit crimina, suam probavit innocentiam. Non idcirco tamen a suscepta iniquitate iudices se continuerunt; in eam tamquam ream, iamque convictam, mortis pronunciarunt sententiam; ac tum super pegmate caput illud regium fuit detruncatum.

De hoc eventu Benedictus XIV lib. 3 sui operis de Servorum Dei Beatificatione cap. 13, num. 10, in haec verba ratiocinari pergit: *Si de huius reginae martyrio quaestio institueretur, quae usque adhuc instituta non est, adversus martyrium plana esset oppositio ex sententia desumenda, et ex ceteris, quae impie adversus eam haeretici debacchati sunt, et praecipue Georgius Buchananus in infami libello, cui titulus est:* Detectio Mariae (1). *At si vera mortis causa examinetur, cum illa constituenda sit in odio catholicae religionis, quae ipsa superstite in Anglia*

Fleury, Histoire Ecclésiastique ad ann. 1586 a §. 107 ad 112. tom. XXXVI. edit. Paris. 1751.

Tempesti Stor. della vita e gesta di Sisto V. tom. 1. lib. XX. a princip. ad §. XI.

Plur. Scriptor. Collect. a Samuele Jebb. de vita et reb. gest. Mariae Scotor. Regin. Franciae Dotariae tom. II.

(1) Exstat una cum alio eiusdem auctoris libello, cui tit. *Actio contra Mariam*, in Collect. Samuel. Jebb. pag. 237 et 250. tom. 1. sed subsequuntur *Mariae Vindiciae*, auctore Oberto Bernestapolio in eodem tom. I. pag. 383.

perstitisset; si invicta perpendatur constantia, qua oblatam repulit deserendae catholicae religionis conditionem; si admirabile animadvertatur robur, quo mortem sustinuit; si attendantur, prout attendi debent, protestationes ante obitum, et in obitu emissae, se semper catholicam vixisse, et propter fidem catholicam libentissime mori; si non omittantur, prout omitti non debent, evidentissimae rationes, quibus ostenditur, nedum falsitas criminum Mariae Reginae oppositorum, sed etiam iniquam mortis sententiam specie tenus calumniis innixam, vere processisse ex odio catholicae religionis, et ut haeretica dogmata in Angliae regno immota persisterent, nihil fortasse deerit *ex iis, quae* pro vero martyrio *sunt necessaria.*

Scimus ex Augustino, quod martyrem non facit poena, sed causa (1); atque ob hanc ipsam rationem Benedictus XIV, cum se propensum pro Mariae Stwartae martyrio declarasset, illud expendere coepit (2), *an ad martyrium satis sit, tyrannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversus fidem Christi, quamvis occasionem mortis desumat ex alia re, quae ad ipsam Christi fidem aut nihil pertinet, aut non nisi ex accidenti pertineat; et* affirmative *resolvit ductus ratione, quod actus non ab occasione, vel a causa impulsiva, sed a causa finali veram sui speciem desumit; ac propterea sufficere ad martyrium, si persecutor ad necem inferendam movetur odio in fidem, licet occasio mortis provenerit ex alia re, quae ratione circumstantiarum ad fidem non pertineret.*

(1) Epist. CCIV. num. 4. tom. II. oper., col. 765. edit. Paris. Maurin. Enarrat. in Psalm. XXXIV. serm. II., n. 1. tom. IV. oper. col. 244. et in Psalm. LXVIII., serm. I. num. 9. tom. eod. col. 695. et Serm. de Sanct. sermon. CCLXXV., num. 1. tom. V. op. col. 1110. serm. CCLXXXV. num. 2. tom. eod. col. 1145., et contra Crescon. lib. III. num. 51. tom. IX. oper. col. 462.

(2) Cit. cap. XIII. num. 12.

Nunc ad Regem Ludovicum revertamur. Si gravis est Benedicti XIV auctoritas, si eius opinioni plurimum est tribuendum, cum ipse propendere se in Reginae Stwartae martyrium significasset, cur Nos eidem non consentiremus pro martyrio regis Ludovici? Convenit enim affectus, convenit propositum, convenit casus acerbitas, unde convenire debet et meritum. Et quis umquam dubitare possit, quin ille rex praecipue interemptus fuerit in odium fidei, et ex catholicorum dogmatum insectatione? Iamdiu erat, cum Calviniani in Gallia Orthodoxae religioni perniciem moliri coeperant: sed parandi prius fuerunt animi, ac impiis imbuendi doctrinis populi, quas ex eo tempore per libellos perfidiae ac seditionis plenissimos (1) in vulgus spargere non desistebant, ac ad sui propositi societatem perversorum Philosophorum operam adiungebant. Tale tamque perniciosum impietatis artificum scelus Generalis Gallicani cleri conventus anni 1745 deprehenderat (2). Nosque ipsi iam praevisam ex Pontificatus

(1) Procès verbal du Clergé dans l'année 1745, séance LVI, pag. 106. Les livres à l'usage de la Secte se répandent plus que jamais; ce n'est plus sourdement et en cachette, c'est aux assemblées qu'on les distribue; on en a débité pour des sommes considérables à deux assemblées tenues en Vivarais au mois d'Octobre et de Novembre dernier. Le Catéchisme d'Ostervald recommandé récemment dans leur Synode, a été imprimé cette année à Toulouse.

(2) Cit. Procès verbal pag. 110. Leurs Prédicants ont grand soin de les entretenir dans ces idées. Ils osent même publier que le temps de liberté est venu; et on sait la témérité qu'a eu l'un d'entre eux de fabriquer dans le Dauphiné un édit à ce sujet. Témérité qui a eu besoin d'être réprimée par la lettre de Monsieur d'Argenson à Monsieur le premier Président du Parlement de Grénoble.... Ces Prédicants qui dogmatisent impunément dans plusieurs diocèses, et dont le nombre s'augmente de jour en jour, sont la plupart gens sans choix, sans discipline, et qui manquent même de la mission réquise parmi eux pour prêcher: plusieurs sont étrangers, et par là même suspects. La plupart de leurs discours tendent moins à inspirer aux peuples les vérités et la morale chré-

Nostri primordio detestandam adeo perfidorum hominum industriam, intentatumque maximum periculum annunciavimus per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos Ecclesiae catholicae (1), cum eos sequentibus verbis hortaremur: *Auferte malum de medio vestri, id est venenatos libros ab oculis Gregis magna vi et sedulitate extorquete.* Quae hortationes ac monita Nostra si successissent, minime nunc adeo progressam esse intentatam Regum Regnorumque perniciem doleremus. Cum teterrimi illi homines multum se proficere, iamque adesse tempus sua exsequendi consilia agnoscerent, aperte proferre coeperunt, in libro typis edito anno 1787, assertionem Hugonis Rosarii, seu si quis alius est eius libri auctor (2): *Laudabile nempe esse tollere de medio supremum Principem, qui obsequi Religioni reformare non vult, nec in se partes suscipere protestantium pro eadem Religione.* Qua tam iniqua sententia paulo ante declarata, quam Ludovicus in vitae miserrimas incidisset vices, palam omnibus factum est, quae illius origo fuerit aerumnarum: idque adeo pro comperto habendum est, tales nimirum, quales prodibant in Gallia, ex improbis libris, tamquam ex venenata stirpe, processisse fructus; ut in vita scelestissimi *Volterii* in vulgus edita scriptum fuerit, aeternas illi ab humano genere habendas esse gratias, tamquam primo publicae revolutionis

tienne, qu'une haine cruelle et implacable contre la religion catholique. Que peuvent devenir des peuples crédules et livrés à cette espèce de Docteurs ? .... Si on joint à ces dispositions le génie plein de feu qui domine dans le pays, on sera parfaitement convaincu, que quelques ménagements qu'on aye pour les Religionnaires, les pays où on les laisse se fortifier, sont exposés, au moment qu'on y pensera le moins, à être mis en combustion.

(1) Dat. 25 Decembris 1775.

(2) La défense civile et militaire des innocents et de l'Eglise de Christ, édit. Lugd. 1563.

auctori, qui cum populos ad suas agnoscendas adhibendasque vires impulisset, effecit, ut formidabile illud deiiceretur despotismi propugnaculum, religiosa nempe et sacerdotalis auctoritas, qua stante numquam tyrannidis, ut dicebant, dissolutum fuisset iugum, cum utraque mutuis inter se nexibus consistat, alteraque subversa, alterius interitus necessario consequatur (1). Hunc illi tamquam de sublato regno, ac disiecta religione triumphum iam canentes, impiorum scriptorum, tamquam ducum victricium copiarum, gloriam, ac nominis splendorem depraedicant. Ac tum fuit, ut

(1) Mercure de France du Samedi 7 Août 1790 à Paris, au Bureau de Mercure, Hôtel de Tou, rue des Poitevins num. 18.

Page 26 du dit Mercure, vie de Voltaire par le Marquis de Condorcet, suivie des Mémoires de Voltaire, écrites par lui-même.

Il me semble du moins qu'il était possible de développer davantage les obligations éternelles que le genre humain doit avoir à Voltaire. Les circonstances actuelles en fournissent une belle occasion. Il n'a point vu tout ce qu'il a fait, mais il a fait tout ce que nous voyons. Les observateurs éclairés, ceux qui sauront écrire l'histoire, prouveront à ceux qui savent réfléchir, que le premier auteur de cette grande révolution qui étonne l'Europe et répand de tout côté l'espérance chez les peuples, et l'inquiétude dans les Cours, c'est, sans contredit, Voltaire. C'est lui qui a fait tomber la première, et la plus formidable barrière du despotisme, le pouvoir religieux et sacerdotale. S'il n'eût pas brisé le joug des prêtres, jamais on n'eût brisé celui des tyrans. L'un et l'autre pesaient ensemble sur nos têtes, et se tenaient si étroitement, que le premier une fois secoué, le second devait l'être bientôt après. L'esprit humain ne s'arrête pas plus dans son indépendance que dans sa servitude, et c'est Voltaire qui l'affranchit, en l'accoutumant à juger sous tous les rapports ceux qui l'asservissaient. C'est lui qui a rendu la raison populaire, et si le peuple n'eût pas appris à penser, jamais il ne se serait servi de sa force. C'est la pensée des sages qui prépare les révolutions politiques, mais c'est toujours le bras du peuple qui les exécute. Il est vrai que sa force peut ensuite devenir dangereuse pour lui-même: et après lui avoir appris à en faire usage, il faut lui enseigner à la soumettre à la loi. Mais ce second ouvrage, quoique difficile encore, n'est pourtant pas, à beaucoup près, si long, ni si pénible que le premier.

cum his artibus ad suas partes maximam populi multitudinem illexissent, ad eandem, per omnes Galliae provincias, magis magisque ope ac promissis lactandam, seu potius illudendam, speciosum illud reperirent libertatis nomen, omnesque ad eius elata insignia ac vexilla evocarent. Haec illa nempe *Philosophica libertas* est, quae illuc spectat, ut corrumpantur animi, ut depraventur mores, ut omnis Legum ac rerum omnium ordo subvertatur. Eam propterea Gallicani cleri conventus fuit detestatus (1) iam in plebis animos per fallacissimas irrepentem sententias; eam Nos ipsi in memorata Encyclica hisce verbis designandam, declarandamque duximus: *Id praeterea aggrediuntur perditissimi philosophi, ut quibus homines vinculis inter se, atque cum dominantibus coniunguntur, et in officio continentur, ea omnia dissolvant; liberum hominem nasci ad nauseam usque clamitant, regeruntque, nec cuiusquam obnoxium imperio: societatem propterea multitudinem esse hominum ineptorum, quo se prosternat stupiditas coram sacerdotibus, a quibus decipiantur, coram regibus, a quibus opprimantur; adeo ut Concordia inter sacerdotium, et imperium nihil sit aliud, quam immanis conspiratio contra insitam homini libertatem.* Falso huic ac mendaci *Libertatis* nomini illi iactari humani generis patroni adiunxerunt aliud aeque fallax nomen *Aequalitatis*, inter homines scilicet, qui in civilem societatem coierunt, quasi illi cum variis obnoxii sint animorum affectionibus, ac in diversos abeant incertosque pro sua cuiusque libidine motus, nemo esse

(1) Procès verbal du Clergé de l'année 1745, Séance LVII. pag. 110. L'esprit d'indépendance et l'amour d'une liberté ennemie de toute autorité, ont toujours animé cette Secte; et ont fait connaître dans cette province de quels excès ils sont capables. Ils ne seront bons sujets qu'autant que la crainte les contiendra.

debeat, qui auctoritate, et vi praevaleat, coerceat, moderetur, ac a perversa agendi ratione ad officia revocet, ne societas ipsa ex tam temerario, ac inter se adverso plurimarum cupiditatum impetu in Anarchiam decidat, prorsusque dissolvatur; ad instar harmoniae, quae ex plurimorum sonorum consensione componitur, et si non apta chordarum, vocumque temperatione consistat, in perturbatos abit strepitus, ac plane dissonos. Deinceps cum se constituissent, iuxta phrasim S. Hilarii Pictaviensis (1), *Praeceptorum emendatores, et arbitros Religionis, cum Religionis opus obedientiae sit officium,* de ipsa Ecclesia, eiusque constituenda ratione nova ac inaudita statuere iudicia coeperunt. Ex ea officina prodiit sacrilega illa Constitutio, quam Nos, in responsione Nostra diei 10 Martii 1791, ad expositionem triginta subscriptorum episcoporum, refutavimus. Quare congrue aptari videtur hic posse, quod scriptum est a S. Cypriano (2): *Quomodo fiat, ut de christiano iudicent haeretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de iudice rei, de sacerdote sacrilegi? Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio cedat?* Qui in diversis civium ordinibus adhuc fideles erant, constanterque reiiciebant novae constitutionis iureiurando se obstringere, ad infortunia statim, ac ad necem destinabantur: itum est repente in promiscuas eorum caedes, saevitum in ecclesiasticos quamplurimos, occisi episcopi, qui quanta devotione et reverentia colendi sint, exemplo suo docuit Christus Dominus, qui referente S. Cypriano (3), *usque ad passionis diem servavit hono-*

(1) Lib. I. de Trinit. num. 15. pag. 775. edit. Paris. Maurin.

(2) Epist. LV. ad Cornel. de Fortunat. et Felicissim. contra Haereticos iuxta recent. edit. Maurin. Paris. 1726.

(3) Epist. LXV. ad Rogatian. iuxta ultim. edit. Maurin. Quod mirifice inculcavit Carolus Magnus Capitul. de honore Episcoporum,

rem pontificibus, et sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent. Fuit demum ex quovis hominum coetu interempta multitudo. Quorum mitior poena fuit, e patriis sedibus, sine ullo discrimine aetatis, sexus, conditionis, in exteras regiones eiiciebantur. Etsi vero decretum esset, ut quisque libere, quam vellet, religionem exercere posset, quasi per quamlibet pateret ad aeternam salutem via (1), sola tamen vetabatur catholica religio,

et reliquor. Sacerdot. apud Baluz. Capitular. Regum Francorum t. I, col. 437. edit. Paris. 1687«Volumus atque praecipimus, ut omnes suis » Sacerdotibus, tam maioris ordinis, quam et inferioris, a minimo » usque ad maximum, ut summo Deo, cuius vice in ecclesiastica » legatione funguntur, obedientes exsistant. Nam nullo pacto agno» scere possumus, qualiter Nobis fideles exsistere possunt, qui Deo » infideles, et suis Sacerdotibus apparuerint, aut qualiter Nobis » obedientes, Nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, » qui illis in Dei causis, et Ecclesiarum utilitatibus non obtem» perant. »

Et hinc a persecutionibus Ecclesiasticorum repetenda sunt initia, et ortus schismatum, et haeresum; prosequitur laudatus Cyprian. in proxim. cit. Epist. LXV.

(1) Post multos alios, Archiep. Roven. Reipublic. Christian. lib. II. cap. I. num. 10. Sola Religio ac Fides Catholica Romana est, quam Princeps acceptare, conservare, et omnibus viribus defendere debet, si se, suosque salvos velit. Illi qui secus sentiunt, ac libertatem Religionis esse volunt, fortunae caelo destinantur, cum atheis, et politicis. Nihil stultius quam asserere quemque in sua religione salvari posse. Frustra enim venisset Christus Dominus docere nos veram in se fidem, frustra instituta tot Concilia, ac damnatae haereses, si quisque in sua religione salvari posset. Et quomodo contrariis viis incedentes ad eundem pervenient terminum? Religiones autem pleraeque inter se contrariae, etiam illae, quae Christum confitentur, invicem se proscribunt, et exterminant. Quomodo consistet Respublica nullo certo religionis vinculo colligata? Ex diversitate religionum procedunt odia, oritur diffidentia, nutritur invidia, fiunt separationes, seditiones, per diversa conventicula exsurgunt novitates, obedientia tollitur, quia quaelibet religio suos superiores eligit, et sibi adversis parere sacrilegium iudicat, bella concitantur, ut infinitis exemplis constat. Itaque insulsum et ridiculum est

sola, tamquam capitalis criminis poenas effuso per fora, per vias, per domos sanguine luebat, neque aliquos exterae ditiones, ad quas confugerant, tutari poterant, cum ibidem deprehensi, ac dolis perfidiaque decepti mactarentur. Sed haec haeresum natura est, hic mos haereticorum iam ab antiquis ecclesiae saeculis exortus (1), ac prae ceteris tyrannico Calvinianorum (2) praecipue in Gallia confirmatus usu, vi, ac minis omnes in suos sensus impellentium.

Ex hac apud Gallos inceptarum impietatum numquam interrupta serie, cui non perspectum plane sit, odio in religionem primas acceptas referri partes ea-

quod contendunt politici, vel haeretici, libertatem religionis, vel conscientiae cuique relinquendam, quam tamen ipsi non relinquunt, ubi praedominantur.

(1) Dissert. II. in Irenaei libros num. 7. pag. 79. edit. Maurin. referuntur crudelitates Cataphrygum peractae Lugdun. et Vienn.

S. Athanasius in Apolog. contra Arianos num. 33, et in Apolog. de fuga sua num , et num. 6. et 7. tom. I. part. I. oper. edit. Maurin. pag. 151, et pag. 321. et 323. describit crudelitates Arianorum.

S. Hieronymus Epist. CXXVII. num. 9. tom. I. oper. col. 951. edit. Vallars narrat crudelitates Origenistarum.

S. August. Epist. L. tom. II. oper. col. 116. edit. Maurin. Epist. CXI. tom. eodem col. 319. Epist. CXXXIV. col. 397. Idem contra Crescon. lib. III. cap. XLIII. num. 39. tom. IX. col. 459. refert crudelitates Donatistarum.

(2) Nicol. Coeffeteau pro Sacr. Monarchia Eccles. Catholic. in Praefat. tom. I. pag. 2. Successit Luthero Calvinus, procella Galliae, turbo pacis . . . sanguinariam ille condidit Sectam, quae florentibus Galliae rebus cristas erigere haud ausa, tandem per teneram Francisci II et Caroli IX aetatem grassandi occasionem nacta, christianissimum regnum bellis civilibus attrivit. Ubi enim in florentissimo regno illa desaeviit tempestas, aequata solo templa, eversa altaria, effossa sepulcra, trucidati Dei sacerdotes, stupratae sacrae virgines, supplicia catholicis illata, strages editae, et Rex ipse Carolus IX non solum insidiis appetitus, sed et aperta vi oppugnatus est.

Gabut. de vit. et reb. gest. S. Pii V, lib. II. cap. VII. fusius describit hostiles barbarasque impietates a Calvinianis commissas.

Nicol. Bailly Histor. vit. Emund. Auger. lib. I. cap. VII.

rum machinationum, per quas omnis nunc exagitatur et convellitur Europa (1), ac exinde inficiari nemo possit ipsi mortem illatam esse Ludovico?

In eum illi quidem plurima cumulare conati sunt ex politicis rationibus deducta crimina, inter quae tamen praecipua eminet firmitas animi, qua decretum de eiiciendis in exsilium catholicis presbyteris (2) approbare, ac sancire noluit, itemque eiusdem epistola ad Claromontanum praesulem nunciantis, sibi constitutum esse, statim ac posset, catholicum in Galliam cultum restituere (3). An hoc satis esse non valeat, ne temere existimatum dictumque sit, Ludovicum esse martyrem? Capitalis etiam in Mariam Stwartam prolata sententia nitebatur criminibus molitionum, conspirationumque adversus publicae rei statum, intermista solum Religionis mentione (4); nihilo tamen minus Benedictus XIV, spretis commentis in sententia expressis, veram iudicavit, multoque aliis potiorem fuisse illius condemnationis originem, ipsum videlicet contra religionem odium, indeque martyrii causam exsistere (5).

(1) Idem fecit Elisabetha, quae suscitavit motus et rebelliones etc. Jebb. pag. 179.

(2) Desèze, Défense pag. 29. et 30.

(3) Cit. Défense pag. 30.

(4) Sententia promulgata ab Elisabetha contra Mariam refertur in collection. Jebb. tom. II. pag. 153. et 613.

(5) Mos est Haereticorum, tum maxime Calvinianorum accusare falso, reosque criminum gravissimorum agere Catholicos. Cit. collect. pag. 159. Journal de l'Assemblée du Clergé de l'an. 1641 ms. pag. 674. Ainsi de tous côtés l'expulsion de l'Assemblée (de quelques Evêques renvoyés à leurs évêchés pour être défenseurs de l'Immunité Ecclésiastique), étaient sans raison, comme ceux qui la souffrirent, étaient sans crime ; mais on sait assez que quand la justice manque, le prétexte suffit à ceux qui veulent, quoiqu'il en soit, exécuter leur passion. La brebis n'a pas troublé l'eau; mais le loup l'en accuse, non parce qu'elle a failli, mais parce qu'il la veut dévorer.

At hic quidam, ut inaudivimus, huic Ludovici martyrio obstare existimant, quod ille approbaverit constitutionem a Nobis iam refutatam in superius memorata Nostra ad Episcopos responsione. Verum nonnulli arbitrantur rem secus se habere, atque asserunt, cum exhibita Regi fuisset, cui nomen subscriberet, constitutio, haesisse ipsum cogitabundum, ac subscribere recusasse, quod timeret, ne factum id suum vim haberet approbationis. Sed cum ei repositum esset a quodam ex administris (cuius etiam nomen enunciant, cuique fidebat Rex plurimum), non aliud illa subscriptione significatum iri, quam veridicum, seu authenticum esse constitutionis scriptum, ne Nos, ad quos transmittendum ab ipso erat, suppositum illud esse ullo modo suspicari possemus, facile simplici hac, ut apparet, ratione inductus fuit ad subscribendum, idque in supremis suis tabulis innuit, cum diceret, se contra proprium votum subscripsisse: et revera ipse sibi minime congruere, planeque pugnare secum videretur, si quod ex animo approbaverat, constanter deinceps reprobasset, cum scilicet subscribere noluerit decreto, quo presbyteri iniurati in exsilium mittebantur, neque item in litteris ad Claromontanum episcopum datis se catholicum in Gallia cultum redintegrare velle declarasset. Sed utcumque illud fuerit (non enim hic quidquam in Nos recipimus), ac ut etiam seductum vel animi levitate, vel errore aliquo Ludovicum in subscribendo approbasse concedamus, num statim idcirco Nostra erit de eius martyrio varianda opinio? Vetat Nobis certa illa ac solemnis, quae subsecuta est Regia retractatio, ac mors ipsa, quam superius demonstravimus illatam ipsi fuisse in odium catholicae religionis, ut idcirco quidquam honori ipsius martyrii detrahi posse perdifficile plane videatur. Quandoquidem in S. Cypriano, qui de baptismo haereticorum aliter sen-

serat, quam veritas postulabat, tamen, uti fructuosum sarmentum gloriosa martyrii falce Deus purgavit quod adhuc purgandum erat, ut totidem verbis, pluribus in locis refert S. Augustinus (1).

Non aliter instituta quaestione in Congregatione Rituum, num obstaret martyrio Ioannis de Britto Societ. Iesu, quod in missione Madurensi adhibuerit vetitos ritus Sinenses, non haesitarunt Suffragantes convenire in sensu negativo, scilicet non obstare, ex quo Dei Servus per subsequens martyrium sanguine retractaverit usum ipsorum rituum: sed scissi fuerunt num expediret proferre favorabile decretum, ne captaretur occasio propugnandi recessum fuisse a repetita proscriptione eorundem rituum. At Benedictus XIV omnem sustulit difficultatem praecipiendo, ne ex decreto pronunciando inferri posset apostolicam Sedem recedere voluisse a constitutionibus suorum Praedecessorum, ritus antedictos prohibentibus; at insimul approbavit retractationem emissam a ven. Ioanne, non atramento, sed sanguine, decernendo oppositam exceptionem non obstare, quominus in causa ven. servi Dei Ioannis de Britto ad ulteriora procederetur ad discussionem dubii super martyrio, et causa martyrii, nec non alterius dubii de signis et miraculis, quae eius intercessione patrata dicuntur, ut ex decreto tunc lato, et typis evulgato 2 Iulii 1741. Hoc Nos instructi decreto, vel ram esse planeque comprobatam cernentes Ludovici retractationem, scriptam et atramento, et generoso eius sanguine effuso, non longe abeundum Nobis esse censemus a Benedicti iudicio, non iam ut simile nunc efformemus decretum, sed ut in Nostra constemus iam praecepta animi sententia de martyrio regis Ludovici,

(1) Epist. XCIII. ad Vincent. Rogatist. num. 40. et Epist. CVIII. ad Macrob. num. 9, tom. II. oper. col. 247. et 309, et contra Gaudent. Donatist. lib. II. num. 9. tom. IX. col. 671. edit. Paris. Maurin.

non obstante, quaecumque illa fuerit, civilis cleri constitutionis approbatione.

Ah Gallia! ah Gallia! a Praedecessoribus Nostris appellata *totius christianitatis speculum, et immotum fidei firmamentum, utpote quae in fervore fidei christianae, ac devotione apostolicae Sedis non sequeris alias, sed antecedis* (1)! Quam hodie aversa a Nobis es, quam hostili in veram Religionem animo, ac inter omnes, qui umquam fuerunt, eiusdem insectatores infestissima! et tamen ignorare, etsi velis, non potes quod tutela et soliditas regnorum est fidei religio utpote quae et potestatum abusus, et subiectorum licentiam comprimit; atque hanc ob causam invidi hostes regalium potestatum, ut eas deiiciant, ad subvertendam catholicam fidem adspirant (2).

Ah iterum Gallia! Tu quae regem tibi dari catholicum postulasti, quia leges fundamentales regni, non alium regem, nisi catholicum patiebantur (3), en hodie, quem habebas catholicum regem, ob id ipsum, quod catholicus esset, occidisti!

Tantus porro fuit ille tuus in Regem furor, ut nec ipsa illius caede satiatus quiesceret. In mortuum etiam, in eiusque exanime corpus saevire voluisti: inhonorata siquidem mandasti cadaver ipsum inferri, humarique sepultura (4). At in Maria Stwarta iam

(1) Gregor. IX. ad Rhemense, Parisiense, aliaque Canonicor. Collegia, apud Raynald. ad ann. 1227. num. 9.

Alexander III. ad Ludovic. VII. Iunior. apud Duchesne tom. IV. Scriptor. Histor. Francor. pag. 595.

Innocent. III. Philippo Augusto Regi Francor. Epist. LXIV. tom. I. Epistolar. edit. Baluz. pag. 717.

(2) B. Greg. X. in Epist. ad Alphonsum Regem Lusitaniae penes Raynald. ad ann. 1273. §. 25.

(3) Not. ad Natal. Alexand. Histor. Eccles. saecul. XV. et XVI. artic. 2. post schol. tom. IX. pag. 229. edit. Venet. ann. 1778.

(4) Vera imparziale relazione dell' assassinio ordinato dalla

exstincta, ratio habita fuit regiae dignitatis. *Corpus eius relatum fuit in arcem, et balsamo conditum repositum in loculo, paratum ad sepeliendum..... domesticisque et ministris iniunctum, ut ibidem remaneant, ac pristinum statum, et splendorem conservantes alio non concedant, donec honorificae alicui sepulturae mandetur* (1). Quid hoc inexpleto odio tuo tandem lucrata fueris, nisi dedecus, infamiam, atque regum ac principum omnium multo graviorem, quam quae in Elisabetham Anglam exarserat, offensionem, odium, indignationem (2)?

Oh dies Ludovico triumphalis! cui Deus dedit et in persecutione tolerantiam, et in passione victoriam. Caducam coronam regiam, ac brevi evanescentia lilia, cum perenni alia corona ex immortalibus angelorum liliis contexta feliciter illum commutasse confidimus.

Quid interim Nobis pro Nostro apostolici ministerii officio agendum sit, ex S. Bernardi ad suum Eugenium litteris edocemur (3), cum ipsum hortaretur dare operam, *ut increduli convertantur ad fidem, conversi non avertantur, aversi revertantur*. Ac prae oculis habemus Clementis VI praedecessoris Nostri exemplum, qui non destitit illatam Andreae Siciliae regi mortem vindicare, gravissimis inflictis poenis contra illius interfectores, et conspiratores, ut legitur in suis apostolicis litteris (4). Sed quid proficere, quidque consequi ab illo possumus populo, qui non solum monita

Convenzione nazionale, cavata dai fogli usciti di Francia. Edizione fatta in Milano dal Veladini, pag. 12.

(1) Collect. Jebb. pag. 166. circa finem. In ea collectione describitur pag. 655, quam magnifice elatum fuerit, quantaque cum nobilium virorum multitudine comitantium Mariae cadaver ad Peterburgense in Anglia templum.

(2) Cit. collect. Jebb. pag. 176. et 178.

(3) Lib. III. de considerat. cap. I. num. 3.

(4) Relat. a Raynald. ad ann. 1346. §. 44. ad 51.

Nostra contempsit, sed gravissimis in Nos insultavit offensionibus, usurpationibus, iniuriis, et calumniis, eoque audaciae ac insaniae processit, ut fictas componeret et eorum erroribus accommodatas litteras sub Nostro nomine? Sinamus igitur illum esse, quoniam ita libet, in sua miserrima pravitate pertinacem, confidamusque innoxium Ludovici sanguinem clamare quodammodo, atque orare, ut suam ille agnoscat, damnetque in aggerandis delictis pervicaciam (1), et consideret acerbissimarum poenarum genera, quae Deus vindex scelerum iustissimus populis solet ob minus gravia perpetrata commissa infligere (2).

Haec apud vos pluribus agere ad aliquod acerbissimi casus solatium voluimus. Itaque ut iam dicendi finem faciamus, quod reliquum est, vos ad solemnes exsequias pro exstincto Rege Nobiscum de more peragendas invitamus. Quae quidem funebria precationum Nostrarum officia, etsi supervacua videri in eum possint, qui Martyris nomen assecutus creditur, dicente S. Augustino: *Ecclesia pro martyribus non orat, sed eorum potius orationibus se commendat* (3); tamen haec ipsa Augustini sententia de illo intelligi, expli-

(1) Cominae de reb. gestis Ludovici XI. ex gallic. in latin. conver. a Ioann. Sleidan lib. X. pag. 254: « Certe querimoniae et la» crimae miserorum hominum, quos crudeliter vexarunt, item vi» duarum et pupillorum gemitus, atque suspiria, quos parentibus, » atque maritis inhumane spoliarunt, breviter eorum, quos affixe» runt, et fortunis omnibus denudarunt, lamentationes atque plan» gor, erunt accusationis loco, quam illi coram supremo Dei tribu» nali sistent. »

(2) Cominae loc. cit. pag. 213 et 254, Journal de l'Assemblée du Clergé 1641, pag. 839 ad alias seq. ubi plura referuntur luctuosa exempla poenarum, quae inflictae fuerunt ecclesiasticorum virorum insectatoribus, nec non et bonorum ad Ecclesias pertinentium usurpatoribus.

(3) Sermon. CCLXXXIV. num. 5. tom. V. oper. col. 1143. edit. Paris. Maurin.

carique debet, qui martyr non iam ex humana persuasione creditus sit, sed ex apostolicae Sedis iudicio comprobatus (1).

Die igitur vobis indicenda, in pontificio Nostro sacello publicas de more exsequias una vobiscum, venerabiles Fratres, pro Ludovico XVI christianissimo rege peragemus.

VI.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS
ET VEN. FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS

Et Dilectis Filiis Capitulis, Clero et Populo
Regni Galliarum

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad Nostras manus devenit scriptum quoddam, cui titulus (2): *Manifeste de l'armée chrétienne et royale au peuple français, à Clisson, ce premier Juin 1793.* Hoc itaque scripto, nomine generalium Ducum christiani exercitus in vulgus typis edito, illud inter cetera declaratur, quod volentes ipsi, quoad eorum fieri poterat, Religionem catholicam pristino statui restituere, florentemque illam reddere, invitabant curatos et vicarios, generalibus facultatibus legitimorum episcoporum destitutos, ut se converterent ad Episcopum *Agrae,* Vicarium apostolicum in quodam oppido nun-

(1) Benedict. XIV. in oper. cit. lib. II. cap. XII. num. 11.

(2) « Declaratio exercitus christiani et regii ad populum Gal- » liarum, in oppido *de Clisson* 1 Iunii 1793.»

cupato *Saint Laurent sur Sevre* commorantem, postulantes ab eo, quomodo se gerere, et quam agendi rationem deberent inire (1).

Nos quidem ignoramus, num scriptum huiusmodi sit authenticum, necne. Qui enim illud vulgavit, in eo monito, quod huiusmodi scripto praefixit (2), liberum Gallis relinquit, ut eam scripto adiungant fidem, quam scriptum ipsum sibi vindicare arbitrentur.

Nihilominus, sicut catholicae Religionis restitutio, ad quam non sine maxima laude consilia praedictorum Ducum spectare videntur, fuit semper praecipua et singularis causa Nostrarum apostolicarum sollicitudinum; et sicut memorati Duces eligentes hanc ipsam ob causam virum huiusmodi, qui se Episcopum *Agrae,* et apostolicum Vicarium appellat, nedum propositum sibi finem minime assequerentur, sed etiam latiorem errori patefacerent viam, non sine gravissima fidelium deceptione, cum Nobis constet titularem huiusmodi Episcopum nullibi exsistere, et numquam a Nobis Vicarium hunc apostolicum destinatum fuisse; ita ad omnem ambiguitatem in re tanti momenti avertendam, consilium cepimus monendi vos, dilecti Filii Nostri, ven. Fratres, ac dilecti Filii, ut si quis ausus fuerit uti titulo Episcopi *Agrae,* et Vicarii apostolici nomen accipere, tamquam talis habeatur a nemine, immo ut omnes illum aversentur atque devitent tamquam utriusque dignitatis invasorem, cuius quotquot essent actus, cum sacrilegii, tum nullitatis labe essent infecti. Haud patet ex scripto, cuius superius facta mentio est, quo pseudo iste Episcopus nomine nuncupetur, sed aliunde innotescit ipsum appellari *Guillo, de Folleville.*

Hinc hortamur in Domino unumquemque vestrum,

(1) §. *Voulant.*
(2) §. *Avertissement.*

ven. Fratres, ut singulos populos, ac dioecesanos vestros de huiusmodi fraude admoneatis. Quoniam vero pseudo-Episcopus et Vicarius apostolicus iste moram trahere dicitur in praefato oppido *S. Laurentii* dioecesis Pictaviensis, quae haud procul abest a dioecesi Leonensi; ita vos, ven. Fratres Pictaviensis et Leonensis Episcopi, vosque etiam, quorum dioeceses exsistunt in provinciis Pictavii et Britanniae, eum zelum adhibeatis oportet, qui vobis communis est cum aliis egregiis Regni Galliarum Episcopis, et in id maxime debetis incumbere, ut dioecesanos vestros, quo meliori per vos fieri modo poterit, commonefaciendos curetis.

Ad fidelium monitiones, Ven. Fratres, vestras quoque monitiones adiungite erga pseudo-Episcopum et Vicarium, illi praecipientes, veluti Nos per Nostras hasce litteras eidem praecipimus, ut abstineat se a quocumque munere usurpatarum dignitatum obeundo, utque, nefario crimine sancte et sincere eiurato, Ecclesiae satisfaciat, quo veniam et absolutionem obtineat ab iis gravissimis poenis, quibus se subiecit iuxta Sacrorum Canonum sanctiones commemoratas aliis Nostris Apostolicis Litteris (1).

Equidem dubitare non possumus, ven. Fratres, quin per unumquemque vestrum semel ac fuistis ad vestras sedes relinquendas adacti, consultum satis fuerit spirituali populorum necessitati, adhibitis etiam iis extraordinariis facultatibus alios delegandi, quae per Nos concessae vobis fuerunt. Nihilo tamen minus, si iniquorum hominum insectatio eo devenerit, ut vestras curas inutiles aut irritas fecerit, ita ut quidam sit locus, qui careat legitimo superiore Ecclesiastico, hanc adeant Apostolicam Sedem ii, qui tanta cum laude

(1) Diei 13 Aprilis 1791, 19 Martii et 18 Iunii 1792-Vid. Tom. I. pagg. 141. 265. 315.

causam sacerdotii defendere se gloriantur. Nos enim prompto ac legitimo occurremus auxilio, quod locum habebit, donec vos dioeceses vestras regere atque administrare possitis. Interim faxit Deus, ut Nostra, et communia vota compleantur, ut vobis primo quoque tempore liceat ad vestras Sedes reverti, et Pastorali ministerio libere fungi, utque inclyto Galliarum Regno pax et Religio reddatur, veluti assiduis precibus imploramus, et futurum confidimus, dum Vobis, Dilecti filii Nostri, ven. Fratres, ac dilecti filii Nostri, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXXI Iulii MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

VII.

VENERABILI FRATRI

VICTORIO PHILIPPO

Archiepiscopo Calaritano

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

In perlegendis iucundissimis litteris tuis, Venerabilis Frater, ad Nos die 11 Aprilis datis, lacrimas prae gaudio tenere non potuimus, cum a te accurate descripta videremus, quae ipsa publica fama ad Nos prius delata ubique iam per universam Europam ad Sardi nominis gloriam celebrabantur. Nihil in iis Nobis acceptius et commendatius fuit, quam a te, a Clero, a populo tuo, ac ab inclyto universae Sardiniae Regno summas immortalesque haberi ac referri omnipotenti

Deo gratias, quod illius benignitate ab infestissimis hostibus liberati estis, qui in vos maxima munitissimaque classe, ac incredibili animorum vesania, armorumque furore irruebant. Agebatur de eripienda per vim optimo regi clarissimae istius insulae possessione, quodque magis est, de catholica religione, Deoque ipso ex animis hominum penitus evellendo. Quid tum ipse egeris, quid tam saecularis quam regularis iste clerus, quantam populo in Deum fidem, quantum ardorem ad imploranda divina praesidia tuo exemplo, tuis concionibus inieceris, notum perspectumque omnibus est, ac ex illustri reportata per caelestem opem victoria confirmatum. Omnes mirifica et in Deum superosque pietate, et in amantissimum regem studio roborati, magis precibus, ac per templa supplicationibus, quam suis viribus suaque virtute confisi strenue proeliabantur; unde accepti referendi sunt divinae potentiae, ac superum patrocinio fructus illi maximi; fracta nimirum, ac depulsa praepotens hostium classis, regnumque sine ullo pene damno vindicatum, ut vos ipsi grato, veroque testimonio praedicatis, ac populi invictum ardorem, mirum periculorum contemptum, ac in propugnando alacritatem, constantiam, et fortitudinem ex illo haustam clementiae fonte, eidem tribuendam esse agnoscitis. Igitur, cum vos ita universim comparatos ex litteris tuis videamus, ut tale, tantumque beneficium aucto divino cultu magis, magisque in omnium animis infixum sit, ac sempiterna ad posteros memoria transmissum, maiorem in modum amplificastis laetitiam de vobis Nostram, atque idcirco ad indulgendam vobis apostolicae Sedis gratiam, Nos etsi sponte propensos, vestra tamen plena pietatis postulatione inflammastis. Itaque, cum omnes in illo privatarum, publicarumque rerum discrimine, praecipuam in S. Martyre Ephysio, civitatis, totiusque Calaritanae

provinciae patrono, spem posuerint, eumque deprecatorem apud Deum, ut saepe antea experti efficacem fuerant, tum maxime adhibere voluerint, opemque omni spe maiorem iam reportarint, nunc ad eius cultum amplificandum singulari animorum fervore permoti, peroptatis, ac a Nobis petitis, tua, Venerabilis Frater, interposita voce, ut eiusdem Sancti officium auctiori celebritate quotannis persolvendum imposterum decernamus. Tam iustis inclinati votis, ac ipsis religiosissimi Regis vestri obsecundantes studiis, decretum fieri iussimus, quo ritus officii S. Martyris Ephysii a duplici maiore elevaretur ad duplex primae classis, cum octava pro dioecesi Calaritana, et tota Sardiniae insula, nec non extenderetur idem officium cum missa ad omnem aliam ditionem regis Sardiniae ritu duplici minore, nonnullis tamen in VI lectione verbis in alia opportuniora commutatis. Cum ad te authenticum illud decretum pervenerit, ipsum non solum cum clero populoque tuo communicabis, sed eiusdem etiam ad ceteros collegas tuos Episcopos exempla transmittes, pariter cum proprio clero, populoque communicanda, unaque omnes participes reddes de Nostro harum litterarum sensu, quo universim, cum omnibus regni incolis, enixissime gratulamur de egregia comparata Sardo nomini regnoque numquam intermoritura gloria, et ob propugnatam tanta cum laude et felicitate Dei Religionem, et ob retentam Regi, patriae, legibusque debitam fidem, et ob utramque clarissimis virtutis indiciis, ac incredibili animorum contentione palam omnibus factam, ac propositam ad omnium imitationem. Nihil hic necesse videtur, ut ullos tam eximiis populorum animis hortationis Nostrae stimulos adiungamus, quo imposterum non solum conservare ac tueri, sed et amplificare suas laudes velint. At ea, Venerabilis Frater, nunc tempora sunt, ut non solum

repellere apertas formidandasque hostium vires, sed et dolos insidiasque cavere, quibus non minus illi valent, debeamus. Omnis intercludendus est aditus impiis eorum doctrinis, omnes repellendae perfidarum sententiarum fallaciae, ac interponendum est accurateque tuendum quoddam velut vallum insitae in animis religionis, ac Dei timoris propugnaculum. Ac ut omnia tibi, tuoque populo, universaeque Sardiniae regno ex verae pietatis studiis prospere feliciterque cedant, apostolicam benedictionem Fraternitati tuae, universisque tam bene meritis populis, in Nostrae etiam paternae benevolentiae existimationisque pignus, ex animo ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI Augusti MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

Benedictus Stay.

VIII.

DILECTIS FILIIS

BAIULIVO ET ORATORIBUS

Septem Decennarum Patriae Valesiae

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae plurima Nostra erat de vestra, dilecti filii, religione existimatio, eandem nunc praeclaris meritis ita auxistis, ut vobis nominatim, vestraeque reipublicae non solum apostolicam commendationem, sed singularem etiam gratiarum actionem deberi a Nobis agnoscamus. Hoc officium vobis per hasce litteras luculentissimo sane animo persolvimus, quod nimirum

aliquot e Gallia, nec non et e Sabaudia profugorum episcoporum et presbyterorum miseriti status, in quem observatam Deo fidem deciderunt, eosdem amanter susceperitis, iuveritis, ac in vestrae pietatis asylo retineatis. Nihil facere Nobis hoc tempore maxime de talium virorum infortunio sollicitis gratius atque acceptius potuistis, nihil quo animorum vestrorum humanitatem illustrius comprobaretis, quam hac ipsa publica singularique liberalitate vestra, qua capientes e patria fugam pro Dei causa, maximisque calamitatibus obiectos vestra ope sublevare, recreare, ac solari non dubitastis. Quo beneficio vestro non solum omni laude dignissimos vobis obstrinxistis homines, sed et immortalem vestro nomini gloriam comparastis. Quas vobis igitur universim reddimus gratias, easdem etiam ad singulos pro singularibus cuiusque factis extendimus, ac praesertim ad venerabilem fratrem Sedunensem episcopum, et dilectum filium Baiulivum vestrum; qui qualem operam, quale praestiterint una vobiscum studium, non ignoramus, grataque semper memoria retinebimus. Certi plane sumus, dilecti filii, ex hoc officio Nostro generosos animos vestros imposterum, etsi maxime sint per se ipsos ad tuendum hoc decus excitati, tamen magis adhuc inflammandos esse ad vestra erga Deum, ac sanctam hanc Sedem cumulanda merita, ad prosequendos scilicet amplificandosque christianae charitatis actus in aerumnosissimos illos Nostros fratres et filios, quos vobis etiam atque etiam non sine summa vestrae pietatis fiducia commendamus. Precamur omnipotentem Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum, ut vos ipse caelesti suae gratiae largitate muneretur, vobisque apostolicam benedictionem ex intimo paterno corde depromptam peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXXI Augusti MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

IX.

VENERABILI FRATRI

IOANNI FRANCISCO

Episcopo Leonensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter angustias, quibus afficimur, quaeque tecum, et cum tuis confratribus sunt Nobis communes, illud Nobis singulari solatio fuit, quod omnes fere principes, et cultiores nationis certatim gloriae sibi duxerint hospitio excipere, atque alendos curare eos egregios exsules Gallos, qui, odio religionis, suis bonis et domiciliis exsuti et eiecti ad vitae subsidia comparanda adacti sunt confugere ad exteros, ut in alienis ditionibus vitam trahere possent. Hos inter principes, et has inter nationes enituit profecto Magnae Britanniae rex illustris, et inclyta natio huius regni, in quo typis editum prodiit in vulgus scriptum quoddam pulchris verborum rationumque coloribus distinctum, ad excitandam omnium humanitatem maxime accommodatum. Cui quidem incepto adeo felix respondit eventus, ut frequentissime coaluerit hanc ipsam ob causam privatorum hominum multitudo, in qua rex quidem ipse primas habuit partes, quaeque apud reliquos etiam ordines cuiuscumque conditionis exemplo et incitamento fuit, ut plurimi ad magnam pecuniae vim ultro suppeditandam, dein in commune referendam inito veluti foedere convenirent. Ad privata subsidia accedit etiam generalis collecta et contributio, a rege ipso per en-

cyclicas litteras imperata, quae ipsius humanitatem, liberalitatemque singularem omnibus testatam perpetuo facient. Quemadmodum vero minime sufficit, ut subsidia colligantur, ac praesto sint, nisi ea uno eodemque tempore pro uniuscuiusque inopia suppeditentur, ita tu, venerabilis frater, qui merito publicae existimationis laudem collegeras, opportune delectus fuisti, qui nedum subsidia istaec in unum collecta conferres, sed etiam qui de statu et inopia tuorum confratrum, aliorumque ecclesiasticorum Gallorum vigilem curam susciperes, ut de cuiusque indigentia eos redderes certiores, qui pecunias depositas apud se custodiebant; ex quo factum est, ut nihil omnino ulli umquam defuerit, aut desit. Nos semel ac huiusmodi nuntium accepimus, Nostris in forma Brevis litteris, quas hac eadem de re scripsimus venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, abbatissis, capitulis, et clero tam saeculari, quam regulari Germaniae, die 21 Novembris superioris anni 1792, meritis laudibus afficiendum putavimus regem ipsum, et nationem universam his verbis: «Nos certe maxima laude cumulare debemus.... praesertim Magnae Britanniae regem illustrem, et inclytam illius regni nationem, qui omnes erga sui similes, ducti quodam spiritu humanitatis, ut ait sanctus Ambrosius, iisdem subsidia suppeditarunt, aemulantes gloriam antiquorum Romanorum, apud quos videbatur valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus; idque etiam reipublicae esse ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.» Cum autem Nos lateat, num hae Nostrae litterae, quarum exemplum ad te mittimus, istuc pervenerint, consilium cepimus scribendi tibi, utpote qui ille es, quo istic rex, et natio usa est pro subsidiis partiendis, atque distribuendis, ut ipse occasionem

habens alloquendi egregios viros, qui huiusmodi praesunt operi, efficias, ut regi et nationi innotescat, quales grati animi sensus per Nos foveantur, et quantus apud Nos antiquae ipsorum existimationi cumulus accederit. Ad haec incredibilem Nostram consolationem debes adiungere, qua Nos mirum in modum recreati ac refecti sumus, intelligentes istorum regnorum catholicos levatos fuisse onere legum poenalium, quo illi a tanto iam tempore premebantur; idque adhuc magis, quia regem et nationem eo devenisse novimus non tantum sua sponte et propriae humanitatis impulsu, sed etiam ob probam prudentemque vivendi rationem eorundem catholicorum, qui obsequio, obedientia, ac fide nemini concedentes, amorem sibi, ac fiduciam regiminis suorumque indigenarum demeruerant. Persuasum Nobis est, te summa animi voluptate hoc, quod tibi imponimus, munere, et officio defuncturum. Vellemus equidem ea conditione esse, ut singulorum ecclesiasticorum exsulum e Galliae regno possemus indigentiis occurrere et opem ferre. Sed ingens numerus eorum, qui a Nobis excepti sunt, quique per Nos sustentantur, adeo excrevit, ut Nostras iam vires excedat. Adeoque maxime Nostra interest, ut grato animo simus erga inclytam nationem, quam pro certo habemus vobis semper adiuturam, donec episcopi aliique ecclesiastici regni Galliarum possint ad suas sedes et ecclesias reverti: eo vel magis quia scriptum, cuius superius meminimus, certos Nos reddit, ex optima vivendi ratione a Gallis ecclesiasticis inita auctam vehementer fuisse commiserationem, quam aerumnae indigne prorsus ab iis perlatae excitaverant, et certos item Nos facit, nationis istius humanitatem liberalitatemque ita late patere, ut vel ad ipsos suos hostes porrigatur. Aliis Nostris litteris coacti nuper fuimus fideles commonere provinciae praesertim Pictaviensis, et Britanniae Minoris, ut

sibi caverent a quodam Guillot de Folleville, quem perhibent se episcopi Agrae, et vicarii apostolici nomine nuncupare. Quoniam autem illis Nostris litteris peculiaris de te mentio facta est, opportunum ducimus hisce adiungere earundem litterarum exemplum, ut tu quoque dioecesanos tuos ab huiusmodi deceptione retrahendos maxime cures. Speramus equidem fore, ut angustias et aegritudines, in quibus versamur, tandem aliquando gaudia et consolationes excipiant, quas Nostris sane precibus quotidie a Deo Optimo Maximo postulamus, dum interim tibi, tuis confratribus, aliisque ecclesiasticis Gallis in isto regno commorantibus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae die II Septembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

X.

CELSISSIMO REGIO PRINCIPI

AUGUSTO

Magnae Britanniae Regis Filio

PIUS PAPA VI.

Celsissime Princeps, Salutem.

Haud ingratum fore putabamus regiae Celsitudini tuae, quod hasce Nostras litteras reddendas tibi curemus ipso fere temporis momento reditus tui ad istam urbem, quem faustum felicemque fuisse confidimus. Nostra enim consilia non alio spectant, nisi ut etiam atque etiam tibi certi sint atque explorati Nostri illi existimationis, et amicitiae in te sensus, quos Nostro concepimus animo erga Celsitudinem tuam, cum non sine Nostra eximia voluptate in hac alma urbe moram

traheres, ad quam te reversurum fore speramus. Nunc autem occasione arrepta huius familiaris inter nos consuetudinis te enixe oramus atque obsecramus, ut animi Nostri interpres ac testis effectus velis augusto patri tuo Magnae Britanniae regi illustri maximas Nostro nomine grates rependere, tum propter hospitium tanta cum munificentia exsulibus gallicis ecclesiasticis praebitum, nedum suo exemplo, sed etiam regiis encyclicis litteris, quae ipsius nomen aeterna apud posteros gloria cumulabunt; tum propter antiqua onera, ipso feliciter imperante, catholicis suarum ditionum imminuta aut adempta; tum denique propter mandata nuper egregiis ducibus florentissimae suae classis ab eodem data ad arcendam omnem hostilem vim a ditionibus Nostris, et ab aliis Italiae regionibus. Quae quidem res tanti apud Nos sunt, ut quidquid Celsitudo tua dixerit ad Nostros grati animi sensus patefaciendos, id omne minus vero futurum sit; eo vel maxime si, te hoc munere Nostris verbis defungente, augeatur, veluti certo speramus futurum, egregia voluntas Magnae Britanniae regis illustris erga infelices ecclesiasticos regni Galliarum, et erga catholicos cum Nostrae ditionis, tum Italiae universae. Hinc eo maiori reputabimus Nos teneri officiorum erga te vinculo, quorum causa numquam Nos deerimus una cum memoratis ecclesiasticis et catholicis, rogare Deum Optimum Maximum pro incolumitate atque felicitate Maiestatis tuae, tuae Celsitudinis, totiusque regiae familiae.

Datum Romae, die II Septembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XI.

CELSISSIMO REGIO PRINCIPI

AUGUSTO

Magnae Britanniae Regis Filio

PIUS PAPA VI.

Carissime Princeps, Salutem.

Quo temporis momento regia Celsitudo tua proxime ab hac urbe discessura, Nos adiit officii et urbanitatis causa, non una quidem fecit Nobis significationes studii et benevolentiae, quam animo conceptam erga dilectum filium Carolum Erskine fovere se praeferebat. Haec porro tam certa, et tam gravis declaratio animi sui in causa fuit, cur ipsi in mandatis daremus se istuc privatim conferendi, ut Nostris verbis gratias quam maximas ageret augusto parenti tuo Magnae Britanniae regi illustri, utque eundem etiam atque etiam rogaret, ne ullo umquam tempore desit suam auctoritatem impendere, suumque patrocinium ac tutelam desiderari sinat in iis rebus omnibus, quae possint aut catholicorum rationes respicere, aut apostolicae Sedis interesse. Sine itaque, ut tibi dicamus ex animo, ad Celsitudinem tuam praesertim spectare, eum gratia prosequi, et omni studio fovere; quem Nobis de meliore nota commendasti. Minime equidem dubitamus, quin votis Nostris favere quoquo modo velis; id enim sperare Nos iubet humanitas illa tua singularis, et studium in Nos tuum, quod Nobis patefecisti, quodque grato semper animo, et memoria colemus sempiterna. Hac spe freti, aliud addere supervacaneum putamus, et ab omnium bonorum auctore ac

largitore Deo, secundo vitae sine ulla offensione cursu, tibi fausta et felicia cuncta peramanter adprecamur.

Datum Romae, die VII Septembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XII.

NOBILI VIRO

EDMUNDO BURKE

PIUS PAPA VI.

Nobilis Vir, Salutem.

Nostram profecto commendationem, Nostrique grati animi testimonium iure quodam suo vindicare sibi videntur ii, qui apostasiae et impietatis tempore suas ingenii vires eo intenderunt, ut bonam causam defendendam susciperent, utque plurimum adlaborarent in iuvandis fovendisque non iis modo egregiis ecclesiasticis viris, qui sunt e regno Galliarum extorres, sed omnibus etiam catholicis, qui in florentissimis istis Magnae Britanniae regnis commorantur. Hos inter tu imprimis enituisti, qui celebre elucubrasti opus ad evertenda et profliganda novorum Galliae philosophorum commenta, quique tuos hortatus esses cives nedum ut opem ferrent, ea qua praestant humanitate memoratis Galliarum ecclesiasticis viris, sed etiam ut plurimum faverent catholicis in Magnae Britanniae Regno natis, qui fidelitatis laude pollentes se dignos reddiderunt, in quos natio universa suum amorem et benevolentiam coniiceret, et in quibus publici regiminis tranquillitas et securitas conquiesceret. Quod quidem per te, et saepe alias factum est, et anno praesertim 1780, et aliis quoque temporibus, quae postea sunt consecuta. Hinc laeto hilarique velimus accipias

animo Nostras commendationes et laudes, quae eo maxime spectant, ut tu magis magisque exciteris ad tuendam causam humanitatis, tibique praeterea persuasum habeas, Nostrae in Magnae Bitanniae regem illustrem, et in inclytam nationem existimationi ob tam eximia liberalitatis argumenta magnam factam accessionem fuisse, veluti melius coram declarabit is, qui tibi has Nostras litteras reddet; quique Nobis, et apostolicae Sedi addictus est, et communem tecum nationem habere quodammodo gloriatur. Interim tibi a Deo Optimo Maximo bona omnia ex animo adprecamur.

Datum Romae, die VII Septembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XII.

NOBILI VIRO

ANDREAE STUART

PIUS PAPA VI.

Nobilis Vir, Salutem.

Ubi dilectus filius Carolus Erskine ineunte anno 1792, reddidit Nobis tuas litteras, quibus nobilium et egregiorum virorum nomine, qui Museo Britannico praesunt, dono misisti duo volumina, in quibus eius Musei catalogus continetur, nec non et alia duo volumina suo ipsius nomine quae catalogum manuscriptorum continent, eidem in mandatis dederamus, ut Nostris tibi, et egregiis istis praesidibus quam maximas gratias rependeret. Nunc autem cum dictus praesul amicus tuus, ac ex eadem natione oriundus istuc proficiscatur, valde opportunum Nobis visum est has ad te litteras dare, quae Nostrum in te et in istos

*

illustres praesides gratum animum testatum facerent. Tu sane postquam tuis litteris Nobis significaveras egregios sensus istius inclyti coetus, ea Nobis commemorasti animi Nostri indicia, quibus tecum egimus anno 1789, ubi ad hanc almam urbem te contuleras. Verum Nostrae in te humanitatis officia huiusmodi tibi sane debebantur, quem et sanguinis nobilitas et singularia ornamenta commendant. Nos vero semper consuevimus peculiari nostrae benevolentiae testimonio prosequi viros istius nationis, qui iure quodam suo Nostram sibi vindicant existimationem gratosque sensus; quibus sane magna facta accessio est ex eo praesertim tempore, cum Magnae Britanniae rex illustris et inclyta natio ista universa maximis beneficiis catholicos affecit, et eximia erga exsules ecclesiasticos Gallos usa est liberalitate. Hinc gratissimum Nobis futurum tibi persuadeas, si ingenuam hanc animi Nostri significationem palam omnibus facies, et si una cum egregiis tuis sociis curabis, ut melior in dies evadat conditio catholicorum ad ipsius patriae tuae utilitatem, quae in ipsis profecto fideles et obedientes homines semper est expertura. Nos interim tibi maiora a Deo Optimo Maximo bona omnia adprecamur.

Datum Romae, die VII Septembris MDCCCXIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XIII.

VENERABILI FRATRI

IOSEPHO MARIAE

Episcopo Genevensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Intelleximus ex litteris Fraternitatis tuae Taurini datis pridie cal. augusti huius anni, qua virtute Fraternitas tua in causa non solum Nostra, Sanctaeque apostolicae Sedis, sed et universae fidei catholicae, adversus eos se gesserit, qui novissimis hisce temporibus, attendentes spiritibus erroris ponunt in caelum os suum, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant, qua fide et quo zelo salutis animarum, qua pietate et prudentia, opem etiam ferentibus compluribus ecclesiasticis viris, eisdem impiis et schismaticis hominibus in Sabaudiae ducatu omnia sus deque vertere conantibus, se opposuerit. Quod profecto Nobis auditu fuit gratissimum; et licet huic tuo operi, atque officio praemii locus in caelo et apud Deum omnipotentem dignior et maior comparatus sit, tamen Nos quoque agimus Fraternitati tuae magnas in Domino gratias; quaeque hactenus gesta a te sunt, ut gliscenti schismati obicem opponeres, atque confirmares fideles in doctrina sana, omni laude commendamus. Sed nec possumus praetermittere, quandoquidem opportuna nobis sese praebet occasio, hortari eandem Fraternitatem tuam in Domino, ut susceptam semel fidei sanctae catholicae, et eius cui, Deo dante, prae-

sidemus Sedis apostolicae propugnationem, pari virtute et constantia tueare, ut si fieri potest, etiam illi qui et Deum et Ecclesiae unitatem, communemque pacem discindere quaerunt, ad salutarem poenitentiam conversi, veniam admissi erroris promereantur.

Reliquum, Venerabilis Frater, Deo committendum est, qui sperantes in se confundi non patitur, et servos quidem suos tamquam aurum probat in camino tribulationis, nec tamen deserit, sed brachio sancto suo defendit illos, et suavibus illis vocibus consolatur: *si me persecuti sunt, et vos persequentur;* propterea non est concidendum animis, sed fortiter sustinendum: non enim vincitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur.

Maxima vero laetitia perfusi fuimus, animadvertentes obsequium erga Nos tuum, quo varias nobis quaestiones proponis, ut eam agendi rationem ineas, quae et tutior et magis accommodata sit gravissimis malis medendis ex tam luctuoso schismate obortis.

Singulis autem quaestionibus nobis propositis, ac summa maturitate a nobis perpensis, consilio etiam habito selectae Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium congregationis satisfecimus, quemadmodum ex responsis quae Nostris hisce litteris adnectimus deprehendes.

Interim vero tibi, Venerabilis Frater, felicitatis auspicem apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, die V. Octobris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

PIUS qui supra.

Nonnulla proponuntur dubia in tres diversas classes distincta, quarum prima: qua scilicet ratione procedere debeat episcopus, et quibus poenis subiicere

Pastores, aut clericos, tum saeculares, tum regulares, sive exemptos, sive non exemptos,

I. Qui praestiterunt iuramentum civicum *(iuro me nationi fidem servaturum, libertatemque et aequalitatem tuiturum, aut in earum defensione moriturum)*, in coitionibus, quas vocant *clubs*, aut in conventibus primariis, ante proclamationem (1) quae illud manifeste cum decretorum universitate colligavit.

R. Ad dubium I. Non esse locum pro nunc poenis canonicis, nondum edito per nos iudicio super formula secundi iuramenti a conventu Nationali praescripti; sed monendos esse Pastores aut clericos, tum saeculares, tum regulares, sive exemptos, sive non exemptos, qui praefatum iuramentum praestiterunt ante proclamationem diei VIII Februarii anni currentis, ut consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat.

II. Qui praefatum, aut parum absimile iuramentum, istud nimirum *(iuro me super dioecesis aut paroeciae meae fideles accurate vigilaturum*, vel alia forma: *me functiones meas adamussim impleturum, libertatem et aequalitatem, etc.)*, emiserunt ex praescripto dictae proclamationis mense Februario evulgatae, sive illud pure ac simpliciter pronuntiatum fuerit, sive cum ementita vel insufficienti expositionum aut restrictionum adiectione.

R. Ad dubium II. Eos qui praestiterunt praefatum iuramentum iuxta praescriptum dictae proclamationis diei VIII Februarii praeteriti, in qua expresse requi-

(1) Publiée le 8 Février 1793, par les Commissaires de la Convention Nationale dans les pays de la Savoie occupés par les armées Françaises, laquelle enjoint aux Ecclésiastiques *employés au service du Culte* de prêter le serment de constitution civile du clergé sous peine de destitution et de déportation, et n'admet ni explication, ni réserve. *(Not. Edit. an. 1800.)*

ritur observantia Decretorum conventionis Nationalis, cum eadem decreta a nobis per litteras in forma Brevis die 13 Aprilis 1791, §. *His peractis* (1) declarata partim fuerint haeretica, partim schismatica, incurrisse in poenas a iure statutas contra fautores et adhaerentes haeresi et schismati, adeoque adimplere debere conditiones praescriptas in Nostris apostolicis litteris diei 19 Martii anni 1792, si absolvi velint. Quod vero spectat facultatem eos absolvendi, provisum iam a nobis est, extendendo ad archiepiscopum, et episcopos Sabaudiae, per litteras Cardinalis de Zelada diei 24 Novembris superioris anni (2), facultates omnes concessas archiepiscopis et episcopis regni Galliarum per litteras apostolicas in forma brevis typis editas, quarum facultatum prorogationem concedimus ad alium annum, si tamdiu temporum calamitas perduraverit.

III. Qui praestito iuramento, communicationum saltem graviorum *in divinis* labe se polluerunt, sive cum pseudo-episcopo, sive cum aliis beneficiorum invasoribus curam animarum exercentes in titulo.

R. Ad dubium III. Eos omnes et singulos, de quibus hic agitur, incurrisse in poenas statutas a sacris canonibus, et ab apostolicis constitutionibus, adeoque non esse absolvendos, nisi servatis conditionibus a nobis praescriptis in praefatis litteris diei 19 Martii 1792.

IV. Qui a pseudo-episcopo clericali tonsura, minoribusque, aut sacris ordinibus initiati fuerint.

R. Ad dubium IV. Regulam a nobis praescriptam in apostolicis litteris diei 13 Iunii 1792, contra eos qui illegitime ordinati, aut integram Parochiam, aut earum partem invaserint, una dempta abdicationis Parochiarum invasarum lege, servandam aeque esse contra illos, qui a pseudo-episcopo clericali tonsura ini-

(1) Vid. tom. I. pag. 148.
(2) Vid. tom. I. pag. 358.

tiati, vel ad minores, aut sacros ordines sacrilege promoti fuerint, qui profecto suspensionis vinculo obstricti tenentur (§. *Hinc minime* (1) de schismaticis et ordinatis ab eis), et, si susceptos ordines exercuerint, irregularitati etiam obnoxii sunt, ex canonici iuris dispositione.

V. Qui iuramento foedati curae animarum titulum invaserunt sive nullum aut aliud quam Pastorale possidentes beneficium, ab intruso episcopo, aut a saeculari conventu, aut aliter quam a canonica potestate in laudatum titulum missi fuerint, sive legitimo pastorali adhaerentes titulo, eo modo sacras alibi functiones obeant ut alienum etiam usurpasse reputentur.

R. Ad dubium V. Eos de quibus hic agitur, habendos esse pro intrusis ad formam litterarum apostolicarum diei 13 Aprilis 1791, §. *Mandamus propterea,* et §. *Ad praecavenda* (2), necnon pro adhaerentibus haeresi et schismati, adeoque non esse absolvendos, nisi servatis omnibus conditionibus praescriptis in mox citatis litteris diei 13 Iunii 1792, §. *Et ne absolutiones;* et quoties in errore perseverent, declarandos esse privatos, et quatenus opus sit, privandos esse per episcopos tamquam Sedis apostolicae delegatos, et nomine Sedis eiusdem, officio et beneficio cum cura et sine cura antea legitime quaesitis.

VI. Qui titulum proprium deseruerunt, aut coram laicis abdicantes, posteaque impium etiam facientes iuramentum, aut in extraneum munus transeuntes, sive praecesserit, sive omissa fuerit propriis muneris abdicatio.

R. Ad dubium VI. Eos de quibus hic agitur, teneri dimittere ecclesiasticum munus, absque canonica institutione occupatum, nec esse absolvendos, nisi ser-

(1) Vid. tom. I. pag. 320.
(2) Vid. tom. I. pag. 156, 157.

vatis conditionibus de quibus supra, et quoties non resipiscant, declarandos esse privatos, et quatenus opus sit, privandos antea legitime quaesitis, iuxta responsum ad dubium V.

VII. Qui professa religione apostatantes, habitum regularem nondum coacti exsuerunt.

R. Ad VII. Eos de quibus agitur incurrisse in poenas a sacris canonibus contra apostatas statutas in tit. *de Apostatis,* lib. V. Decret. cap. 2, *ne clerici vel monachi* in sext. et cap. 19 sess. 25 *de regularibus* Concilii Tridentini, adeoque servandas esse regulas a Benedicto XIV. traditas, tum in Constitutione *Pastor bonus* diei 13 Aprilis 1744, tum in opere *de Synodo dioecesana,* lib. XIII, c. 2.

VIII. Qui spreta lege ecclesiastica, aut solemni votorum nuncupatione, temerario ausu matrimonium attentaverint.

R. Ad dubium VIII. Nulla esse matrimonia contracta tam a regularibus quam ab ecclesiasticis saecularibus ad aliquos sacros ordines promotis, et utrosque nedum in excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse (Clem. cap. unic. *de consanguin. et affin.*), sed etiam tamquam bigamos irregularitati obnoxios esse (cap. ultim. *de bigamis non ordinandis nec absolvendis*), nisi derelictis feminis, et publico scandalo publice reparato.

IX. Qui publicis sermonibus aut scriptis contagioni propagandae intenderunt, errorem et schisma tuentes, catholicorum oppugnantes doctrinam, devinctos Ecclesiae ministros male traducentes, huc atque illuc aliquando sine canonica missione vagantes, parochorum absentium munia data occasione exercentes, atque illa etiam quae iurisdictionis defectu nulla prorsus exsistunt et irrita.

R. Ad dubium IX. Eos de quibus agitur, esse schi-

smaticos, et schismatis haeresisque fautores, necnon intrusos, adeoque non absolvendos, nisi prius damno illato Ecclesiae eiusque ministris publice et congrue reparato, aliisque conditionibus servatis praescriptis in praefatis litteris apostolicis.

Sequitur secunda dubiorum classis. Qua item ratione sese gerere debeant Pastores in publica sacramentorum administratione, et christiana sepultura erga laicos.

I. Qui regnum schismatis et haeresis stabilire sermonibus, scriptis, actibus publicis, impie et ipsi contenderunt, fideles catholicos scandalose sunt insectati, divinamque Christi religionem ostentui habere gloriati sunt.

R. Ad dubium I. Laicos de quibus agitur esse haereticos, atque haeresis et schismatis propagatores, et catholicorum persecutores, adeoque incurrisse in poenas a iure statutas, nec absolvendos, nec ad sacramenta et sepulturam ecclesiasticam admittendos, nisi publico scandalo publice et quo meliori fieri potest modo, reparato.

II. Qui divortiorum legibus freti, impetrataque a magistratu sententia, compartem, quasi coniugali vinculo soluti, reliquerunt, sive novas nuptias attentarint, sive non.

R. Ad dubium II. Eos de quibus agitur, adversari doctrinae Ecclesiae de matrimoniorum indissolubilitate, adeoque non esse absolvendos, nec ad sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittendos, nisi errorem, ut par est, eiurent, et ad legitimum redeant consortium, dimissa alia coniuge, quatenus alias nuptias inire attentarint.

III. Qui irritis plane matrimoniis iuncti, in adulterino vel fornicario saltem perseverant consortio.

R. Ad dubium III. Eos qui irritis plane matrimo-

niis iuncti, in adulterino perseverant consortio, cogendos esse poenis spiritualibus, ut adulterino consortio derelicto, ad legitimam redeant coniugem. Eos autem qui irritis plane matrimoniis in fornicario perseverant consortio, separandos esse, et quatenus impedimentum proveniat ex ecclesiastico iure tantum, quaerendam esse canonicam dispensationem.

Sequitur tertia dubiorum classis. Quaenam scilicet postremo sententia tenenda sit de iis, qui cum ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus, aut nonnisi difficillime aut periculosissime recurrere possint, vel nullum alium possint adire quam parochum iuramenti aut communionis schismaticae reum, alii coram extraneo sacerdote celebrarunt, alii coram saeculari magistratu. Utrum videlicet tamquam irritae prorsus haberi debeant nuptiae huiuscemodi, sicque nubentes ad alia vota transire valeant; aut si foedere aliquo vinciantur, utrum invitari, aut compelli debeant ad recipiendam a vero Ecclesiae ministro sacram matrimonii benedictionem.

R. Ad dubium unicum, matrimonia contracta coram saeculari magistratu, aut coram extraneo sacerdote, cum contrahentes ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus, aut nonnisi difficillime seu periculosissime recurrere possint, esse valida, quoties duo saltem adfuerunt testes, iuxta resolutiones sanctae congregationis Concilii in causa Belgii diei 27 Martii 1732, in alia diei 30 Martii 1669, et iuxta resolutionem congregationis sancti Officii in causa provinciae Malabaricae diei 8 Maii 1669, in quibus adhaesit haec particularis congregatio in resolutione capta die 2 Iunii praeteriti, in responsione ad epistolam Lucionensis episcopi (1); monendos tamen esse contrahentes ut con-

(1) Toutes les fois que cette difficulté s'est présentée dans l'église, elle a été décidée de la même manière. La sacrée congréga-

sulant suae conscientiae, eo quod matrimonia contracta coram schismaticis, vel schismati adhaerentibus, tametsi in praefatis circumstantiis sint valida, sunt tamen illicita, necnon hortandos esse coniuges, ut a parocho legitimo recipiant benedictionem, quatenus fieri possit citra periculum. Quoties autem duo saltem testes minime adfuerint, matrimonia esse invalida, et quatenus fieri possit, esse revalidanda; ita tamen ut si obstet aliquod impedimentum iuris ecclesiastici, dispensetur ab episcopo, quoties dispensandi facultate polleat ex concessione apostolicae Sedis, ad quam recurrendum erit, si de impedimentis agatur, in quibus dispensandi facultatem non habeat ex eiusdem Sedis apostolicae delegatione. Matrimonia vero contracta coram saeculari magistratu, aut coram extraneo sacerdote, cum

tion des Cardinaux interprètes du Concile de Trente, dit le savant canoniste Pontas (t. II. art. *Empêchem. de clandestinité, cas XX.* p. 181), la même qui est alléguée dans la réponse actuelle, ayant été consultée sur une pareille difficulté par Octave, Nonce du Pape en Allemagne, à l'occasion des mariages qui se contractoient alors de cette manière en Hollande, en Zélande et en Frise, déclara ces mariages valides le 19 Janvier 1608, conformément à ce que le Cardinal Bellarmin avoit déjà écrit au même Nonce Apostolique en ces termes : « De matrimoniis contractis ubi nulli iam sunt pro» prii Pastores, iam olim actum fuit cum Sanctissimo Domino No» stro, et cum congregatione Concilii Tridentini; et sententia com» munis fuit, illa esse rata, nec ad ea pertinere Decretum Concilii, » cum in eiusmodi locis observari non possit. Non video ergo cur » ea matrimonia non debeant tolerari, cum satis constet, Concilii » Decretum quod iubet matrimonium fieri coram parocho non se » extendere ad ea loca, ubi nulli sunt parochi. (Resp. ad Octav. » apud Chapeaville, Vic. gen. Leod. q. 15, de matrim.) » Le même esprit qui préside à la perpétuité de l'enseignement, veille à l'uniformité de la discipline: c'est la même sagesse, la même indulgence qui régla dans tous les temps les décisions du Siège Apostolique, comme, sans sortir de la matière actuelle, on peut en voir un exemple tout semblable dans les resolutions rapportées par Bénoît XIV, dans son traité du Synode Diocésain, liv. VII, chap. 68. *(Not. Edit. an. 1800.)*

nullum alium possint contrahentes adire quam parochum iuramenti aut communionis schismaticae reum, pariter valida, quoties duo saltem testes praesentes fuerint, et parochus proprius, sive propter iuramentum, sive quavis alia ex causa schismati adhaeserit; monendos tamen et hortandos esse coniuges ut supra (1).

XIV.

DILECTIS FILIIS

CAPITULO ET CANONICIS

Cathedralis Ecclesiae Camberiensis

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex litteris vestris Taurini datis pridie calendas Augusti huius anni, perceptum est a Nobis tanta quidem, quanta vix dici potest animi Nostri molestia, gravissima illata mala illustri Camberiensi ecclesiae fuisse ab impiis hominibus, qui nihil habent antiquius quam religionem sus deque vertere, dominationem spernere, atque maiestatem blasphemare; summopere praeterea animi dolore affecti fuimus cum intelleximus

(1) Ces réponses du Saint-Siège adressées à M. l'Evêque de Geneve, les furent en même-temps à M. l'Archevêque de Tarentaise, et à MM. les Vicaires-généraux du Diocêse de Chambéry le Siège vacant, qui avoient proposé les mêmes questions. Dans les réponses du Saint-Siège, il n'y a de différence que dans le préambule. Nous nous croyons obligés d'avertir que nous avons supprimé une demande avec sa réponse. Les circonstances exigeoient de nous impérieusement ce sacrifice, auquel nous avions été d'ailleurs invités par les autorités les plus respectables. *(Not. Edit. an. 1800.)*

istius ecclesiae antistitem, qui tanta cum sui commendatione nominis eam usque adhuc moderatus est, in stricta nonnullis ab hinc mensibus custodia detineri. Lenivit tamen non parum dolorem Nostrum virtus vestra, vestraque constantia, dilecti filii, qua gliscenti schismati obicem opponere curastis, ne quid detrimenti caperent fidelium animae, quas acquisivit Christus sanguine suo; nec parum etiam iuvit ad leniendum dolorem Nostrum certo scire, antistitem vestrum persecutionem pati propter iustitiam, ipsiusque constantiam in perferendis aerumnis exemplo fuisse, atque esse praesertim huiusce dioecesis fidelibus, ut in catholicae fidei professione firmius perseverent. Agite itaque, dilecti filii, ut coepistis, atque ut boni milites Christi bonum certamen certate, pro certo habentes, quod fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Maxima vero laetitia perfusi fuimus animadvertentes obsequium erga Nos vestrum, quo varias Nobis quaestiones proponitis, ut episcopus vester eam agendi rationem ineat, quae et tutior et magis accommodata sit gravissimis malis medendis ex tam luctuoso schismate obortis. Singulis autem quaestionibus Nobis propositis, ac summa maturitate a Nobis perpensis, consilio etiam habito selectae venerabilium fratrum nostrorum sacrae romanae Ecclesiae cardinalium congregationis satisfecimus, quemadmodum ex responsis, quae Nostris hisce litteris adnectimus deprehenditis. Apostolicam interim benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem die V Octobris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XV.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTO

Episcopo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Misit ad Nos de mandato fraternitatis tuae Noster apostolicus nuntius Palatino-bavarus duas pastorales epistolas a te confectas, alteram directam clero partis dioecesis exstantis in Alsatia, Olteram populo eiusdem partis dioecesis; eas non dubitamus plane uniformes esse aliis, quas Nobis reddendas transmisisti (quemadmodum ex recentioribus tuis die 17 octobris intelleximus) Bernardino Bonfiglioli tuorum negotiorum gestori, quas tamen eo ab urbe adhuc absente, hactenus non accepimus. Iis pastoralibus epistolis tuis voluisti pro tua episcopali sollicitudine viam indicare illi clero et populo, qua debent difficillimis hisce temporibus ambulare, ne offendant ad lapidem pedes suos. Utrasque avide perlegimus, attenteque perpendimus; atque in utrisque perlegendis summopere laetati sumus, intelligentes, qua virtute Fraternitas tua in causa non solum Nostra, Sedisque sanctae apostolicae, sed et universae fidei catholicae adversus eos se gesserit, qui novissimis hisce temporibus attendentes spiritibus erroris doctrinas prurientes auribus disseminant, ut abducant plurimos post se; et qua fide, quo zelo salutis animarum, qua pietate et prudentia eisdem impiis et schismaticis hominibus in Alsatia omnia sus deque ver-

tere conantibus, se opposuerit. Crevit autem supra modum gaudium Nostrum, cum tuam perspeximus sollicitudinem tuumque ardens studium, quo enixe conaris ab agro Domini eradicare zizania, ut crescere triticum possit. Quod unis, et alteris tuis pastoralibus epistolis mirabiliter praestas: in iis enim non solum clerum et populum instruis: in doctrina sana, verum etiam quo maximo potes animi tui ardore funestissimas luctuosi schismatis, quod tanto fuit gallicanis ecclesiis detrimento, circumstantias graphice ante illorum oculos ponis, ut et illud sicut oportet, detestentur, et caveant perquam diligentissime, ne imposterum illi consentiant, neve illius labe se pollui patiantur.

Elucet praeterea mirifice prudentia tua in quam pluribus decretis, quae in instructione clero directa leguntur, ad medendum eo meliori, quo fieri potest modo multiplicibus, iisque gravissimis malis ex tam luctuoso schismate obortis: quae quidem decreta maiori ex parte Nostris apostolicis litteris in forma Brevis consentanea sunt, atque eidem clero proponuntur (quod est singulare observantiae tuae erga apostolicam hanc Sedem testimonium) cum debita subordinatione ad generalem illam instructionem, in qua concinnanda sedulo incumbimus; sed tam cito ad finem pervenire quam vellemus non poterimus, propterea quod graves occurrant difficultates ab ipsis inter se dissentientibus gallicanis episcopis, quorum pars unam, pars aliam a Nobis rationem praescribi velint. Sed Nos nullo modo possumus a canonica ratione discedere, quin tutam et consentaneam normam iisdem episcopis praebeamus. Ut autem, venerabilis frater, pastoralis instructio, quam clero dirigis, ex omni parte regulis communiter receptis apprime respondeat, atque ideo ipsi clero, et populo utiliter evadat, Nostri muneris esse ducimus tibi nonnulla indicare, quae solum ma-

iorem expostulare videntur dilucidationem: sunt vero eiusmodi.

Num. 3 et 4 pro absolutione eorum ex populo, qui iusiurandum civicum praestiterunt, et sese schismatis reos effecerunt, decernitur a parocho professionem fidei a concilio Tridentino praescriptam publice pronunciandam esse, ita ut quivis ex populo verba sacerdotis deinde repetat, quae emissa fidei professione subiunguntur. Populum pro foro externo absolvendum esse, serio tamen monendum hanc absolutionem pro foro interno conscientiae vim nullam habere, sed qui illam rite obtinere velit, eum in sacro tribunali coram, animo vere contrito se accusare debere: verum in Nostris apostolicis litteris diei 29 martii superioris anni, in quibus amplissimas facultates concessimus archiepiscopis, et episcopis regni Galliarum, atque inter eas facultatem etiam absolvendi illos, qui schismati adhaeserunt, et civicum iuramentum pure et simpliciter emiserunt, hanc expresse conditionem requisivimus: Dummodo tamen, seu postea quam idem iuramentum publice et palam retractaverint, et fidelium scandalum reparaverint eo meliori modo, quo fieri poterit. Tuum itaque erit, venerabilis frater, ut delegationi omni ex parte inhaereas iuxta praememoratas Nostras apostolicas litteras, expresse etiam iniungere, quod nemini, qui iuramentum civicum emiserit, absolutio detur, nisi iuramentum idem antea palam et publice retractaverit; qua retractatione praemissa, danda absolutio erit iuxta eam formulam, quae ad calcem tuae pastoralis epistolae recensetur. Quod si quis praedictam retractationem palam, et publice facere praetermiserit, ad eam faciendam adigendus erit antequam absolutionis beneficio donetur.

Num. 5 decernitur quod « antequam populus ratione antedicta absolutus fuerit... » nullus in ecclesia cultus

publicus celebretur... sponsique secundum Ecclesiae leges matrimonio non iungantur. Etsi vero praescriptio haec generalibus expressa verbis sit, facile tamen adducimur ut credamus te de solemnibus nuptiis, non de privatis intellexisse. Hinc ad amovendam quamcumque dubitationem in re maximi momenti, consultius erit, si quod statuitur de sponsis praefato tempore matrimonio non iungendis, ita exprimatur: «Sponsique secundum Ecclesiae leges solemnibus nuptiis non iungantur.»

Num. 8. Ad exstinguenda schismatis huius vestigia decernitur, quod «hostiae a schismatico presbytero consecratae sumendae sunt, aut una cum ita dicto corporali comburendae; cinis denuo aqua diluendus atque in sacrarium effundendus.» Verum, ne sacerdotes catholici vitae amittendae periculo exponantur, sumendo hostias a schismaticis presbyteris consecratas, si istae forte veneno infectae fuerint, et ne iidem sacerdotes catholici in vim praememoratae praescriptionis fas sibi esse arbitrentur hostias statim comburere, quod ex omnium theologorum sententia illicitum omnino est ante totalem earum corruptionem, gratum apprime Nobis foret, si claritatis gratia eadem praescriptio in hunc modum exprimeretur: Hostiae a schismatico presbytero consecratae asservandae erunt, donec species sacramentales fuerint omnino corruptae, et tunc satius erit, ut non concrementur, sed post omnimodam corruptionem in sacrarium, seu piscinam iniiciantur.

Num. 13. De matrimoniis contractis coram parochis iuratis disponitur, ut sequitur: Illorum matrimoniorum, quibus adstitit parochus antea proprius, sed ob iuramentum suspensus, cum necdum ab Ecclesia definitum sit, an parochus tamquam minister hoc sacramentum conferat, aut in ratione testis omni exce-

*

ptione maioris solum assistat, valor dubius saltem est: quare haec matrimonia, prout in similibus casibus fieri solet, coram aliquibus testibus etiam privatim a vobis pro cautela, valori restitui possunt. Sed quoniam parochus suspensus, ex communi doctorum sententia parochus esse non desinit, hinc de valore matrimoniorum coram parocho iurato contractorum dubitari profecto non potest. Quapropter ne pro cautela quidem opus est, ut matrimonia eiusmodi coram parocho catholico et testibus validitati restituantur.

Haec sunt, venerabilis frater, quae in tua instructione ad clerum aliqua animadversione digna visa Nobis sunt: quaeque ubi fuerint redacta iuxta ea, quae monuimus, non dubitamus ex eadem instructione obventurum fore fructum amplissimum, et maximum in gregem, qui exstat in parte Alsatica dioecesis tuae. Interim perge, venerabilis frater, ut coepisti, certare bonum certamen. Viriliter age: confortare in Domino, et ipse dabit petitiones cordis tui: neque enim sperantes in se confundi patitur, sed servos suos tamquam aurum probat in camino tribulationis. Quare non est concidendum animo, sed fortiter sustinendum. Auctor boni consilii Deus uberem gratiam elargiatur Fraternitati tuae, cui Nos eiusdem auspicium, et pontificiae benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII Novembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XVI.

DILECTO FILIO

ABBATI DE SIMON

Vicario Generali Dioecesis Metensis

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod allocutionem Nostram de morte Ludovici XVI in gallicam linguam exacte sane diserteque converteris, ac acerbissimum luctum Nostrum, atque intimos sensus, quos de illius regiis virtutibus ac religione perceperamus, tanto magis per Europam vulgato illo sermone noscendos in lucem emiseris, gratum Nobis fuit, dilecte fili, valdeque etiam laetati sumus litteris tuis, quas Nobis cum tam elaborato dono coniunctas, transmisisti. Quo Nos in te animo fuerimus, quantumque fidei ac iudicio tuo tribuerimus, iam ex ea Nostra allocutione agnoscere potuisti, cum eiusdem adnotationum praecipuam partem esse tuam voluerimus. Hanc ipsam voluntatem in te existimationemque Nostram nunc non solum confirmatam, sed et auctam tibi velimus persuadeas ob huiusmodi praeclarum officium tuum, quo egregie declarasti, quanto observantiae studio inhaereas huic apostolicae Sedi, ac Nobis ipsis; qui invicem dum commiseramur et sortem tuam, et plurimorum, qui extorres patria his temporibus pro Dei causa profugerunt, una etiam vestrorum animorum fortitudini, constantiae, ac singularibus de religione meritis mirifice favemus atque applaudimus. Tibique, dilecte fili, caelestium munerum auspicem

apostolicam benedictionem in paternae benevolentiae Nostrae pignus peramanter impertimur.

Datum Romae die XX Novembris MDCCXCIII, Pontificatus Nostri anno XIX.

XVII.

NOVA PROROGATIO

FACULTATUM CONCESSARUM

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPA VI.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Ac Dioecesium Administratoribus Regni Galliarum, nec non Corsicae, Avenionis, et Comitatus Venaisini, Sabaudiae, aliorumque locorum, quae persecutioni sunt obnoxia.

Cum maxime cordi sit Sanctissimo Domino Nostro, ne spiritualia subsidia desint populis regni Galliarum, Corsicae, Avenionis, Comitatus Venaisini, Sabaudiae, aliorumque etiam locorum, quae sunt persecutioni obnoxia, cumque notum perspectumque eidem sit, aerumnosas illas circumstantias adhuc perdurare, propter quas Indulto diei 10 decembris superioris anni, prorogavit extraordinarias facultates concessas praefatis Archiepiscopis, Episcopis, et dioecesium Administratoribus ad alium annum, a die exspirationis cuiuslibet Indulti respective incipiendum, eadem Sanctitas Sua novo hoc indulto concedit Archiepiscopis, Episcopis, atque Administratoribus memoratis prorogationem omnium, singularumque facultatum ad alium annum, a die pariter exspirationis Indulti cuiuslibet incipiendum, si tamdiu temporum calamitas perdura-

verit, idque concedit ac tribuit iisdem legibus et conditionibus, quae prioribus Indultis fuerunt appositae, quaeque declaratae iterumque expressae fuerunt in citata prorogatione die 10 decembris superioris anni 1792.

Datum ex Aedibus Vaticanis die XVI Decembris MDCCXCIII.

F. X. Cardinalis de Zelada.

XVIII.

INDULGENCES

Demandées au Souverain Pontife, au sujet de la persécution de France, et qu'il a bien voulu accorder le 17 Janvier 1794. (*)

1. Une indulgence pléniere, à gagner chaque semaine par tous les prêtres Catholiques séculiers et réguliers, qui célebreront le Saint Sacrifice de la Messe pour la paix de l'Eglise Universelle et du Royaume de France, pour l'extirpation de l'hérésie et du schisme actuel, et de toutes les autres hérésies et schismes, et pour l'union et la concorde des Princes Chrétiens, avec la liberté de recevoir la rétribution des susdites Messes.

(*) In Collection. Brevium Pii VI edit. à *Rome 1800*, Tom. 8. p. 286, itemque in alia edita eodem anno *iuxta exemplar impressum Romae* Tom. 2. pag. 142, refertur iste indulgentiarum elenchus, hac tamen praemissa adnotatione: « Dans un recueil envoyé en » France sous ce titre: *Instruction sur les Indulgences*, il est » fait mention d'Indulgences demandées au Souverain Pontife au » sujet de la persécution de France, et accordées par Sa Sainteté » le 17 Janvier 1794. Nous n'avons pu nous en procurer le texte » latin: ce qui ne nous a point offert une raison suffisante, ou pour » en méconnoître l'authenticité, bien que nous ne les voyons citées » nulle part, ou pour priver nos lecteurs de la communication » de ce nouveau témoignage de la sollicitude Apostolique. »

2. Une indulgence de cinquante jours, à gagner tous les jours par tous les fidèles qui, privés de la consolation d'assister au Saint Sacrifice de la Messe, réciteront, quelque part qu'ils se trouvent, pendant une demi-heure avant midi, les Prières de la Messe ou d'autres, selon l'intention prescrite, et unis de cœur aux sacrifices qui se célebrent dans tout le monde Catholique, dans toute l'Eglise de Rome, et sur-tout à celui offert par le Pape.

3. Une Indulgence de cinquante jours, à gagner tous les jours par les fidèles qui, outre les Prières susdites, réciteront le chapelet de la Sainte Vierge, avec l'intention de soulager les âmes des fidèles défunts, sur-tout de ceux qui, par défaut de Prêtres Catholiques, meurent sans Sacrements.

4. Une Indulgence de sept ans, à gagner par tous les fidèles, en quelque lieu que ce soit, toutes les fois qu'ils suggéreront aux malades les actes qu'ils doivent faire; qu'ils feront ce qui dépendra d'eux pour leur faire abjurer leurs erreurs, s'ils ont le malheur d'en être infectés; qu'ils leur procureront, s'ils le peuvent, un Prêtre Catholique pour qu'ils en reçoivent les Sacrements; et qu'enfin ils les aideront à mourir saintement dans le Seigneur.

5. Pareillement une Indulgence de sept ans, à gagner par tout Prêtre Catholique séculier ou régulier, toutes les fois qu'il administrera aux fidèles les Sacrements, au moins celu de Pénitence.

6. Une Indulgence de sept ans, à gagner tous les jours par tous les fidèles malades qui, vraiment contrits et confessés, s'il leur a été possible, feront de vive voix, autant qu'ils le pourront, ou seulement de cœur, si les forces leur manquet, les actes de foi, d'espérance, de charité, de contrition, de résignation.

7. Une Indulgence de cinquante jours, à gagner

par tous le Prêtres Catholiques, toutes les fois qu'ils expliqueront la parole de Dieu; et une pareille Indulgence pour tous les fidèles qui écouteront avec attention cette explication.

Pour gagner ces indulgences, il faut se confesser, recevoir les Très-Saint Sacrement de l'Eucharistie, prier pour l'union et la concorde des Princes Chrétiens, pour l'extirpation des hérésies, pour l'exaltation de notre Mère la Sainte Eglise Romaine, et faire toutes les autres œuvres indiquées ci-dessus.

XIX.

VENERABILI FRATRI

YVONI ALEXANDRO

Archiepiscopo Lugdunensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi notae Nobis sint, venerabilis frater, ecclesiasticorum e Gallia profugorum aerumnae, tamen novum Nobis cumulavit dolorem tua calamitatum, in quas plurimi eorum, praesertim Lugdunenses tui, inciderunt descriptio, tantoque graviore oppressi moerore sumus, quod invenire plane, quamvis maxime cupimus, non valemus, qua illos adiuvemus ope, tuisque votis satisfaciamus. Hactenus recepta iam a Nobis in Nostram ditionem non minus quam tria ecclesiasticorum emigratorum millia, e quibus centum octoginta quinque e tua Lugdunensi dioecesi sunt. Hunc tantum adhuc magis augere numerum, praeterquam quod multo gravius adiungeret pondus subiectis Nobis populis,

praecipueque Regularibus, apud quos illi distributi degunt; non mediocre etiam crearet ipsis universim emigratis, qui ad Nos confugerunt, novarum perturbationum periculum; quod hi populi ob iam imminentem hoc anno victus penuriam facile in illos mali huius causam multa ex parte coniicerent. Hanc ob rem potius visum est, ut hi, qui hic sunt Ecclesiastici emigrati encyclica epistola typis vulgata (quam hisce Nostris coniungimus) invitent hos ipsos populos ad conferendam in commune stipem pro miserrimis aliis, qui inter Helvetios commorantur; iamque hoc modo in hac ipsa ditione nostra non parva collecta est pecunia. Hanc in se curam praecipue recepit eius et quaerendae colligendaeque pecuniae, et ad istos ecclesiasticos transmittendae, dilectus filius Noster cardinalis Ranutius, Anconae episcopus, eamque diligenter pro sua pietate prosequitur. Hoc igitur continuato per ipsius praestantem operam subsidio illos aliquantum sublevari, ibidemque, ubi iam substiterunt, vitam tolerare posse confidimus. Itidem hic coniungimus exemplum litterarum, quas Nos ipsi dedimus, die vicesima prima novembris anni 1792, ad universum Germaniae clerum tam saecularem, quam regularem, quibus studiosissime illum ad praestandum emigratis ecclesiasticis necessarium vitae praesidium hortati sumus, neque non aliquem non mediocrem huius sollicitudinis Nostrae fructum deinceps exstitisse gaudemus. Ipse pariter venerabilis frater Lucernensis nuntius Noster suam, Nobis mandantibus, ad abbates monasteriorum eius regionis misit epistolam, nec eam certe inanem, ut intelleximus, subsecuti proventus. Ex quibus omnibus facile tibi, venerabilis frater, persuaseris, quantae a Nobis ac a Nostris curae sint ad sustentandam emigratorum vitam susceptae. Verum ne postulati tui videamur non plurimam habuisse rationem, eius videlicet, cuius in

summa rerum omnium tam sacrarum, quam civilium pernicie, summam item animi fortitudinem, paremque in perferendis pro religione calamitatibus constantiam agnoscimus, non possumus non aliqua ex parte obsecundare votis tuis, ac in tua intuentes merita, tibi indulgere, ut in iis omnibus, quos Nobis commendare voluisti, si potiores aliquos ob eorum virtutem, tibique acceptiores habeas, ex iis non plures quam quinque, aut sex ad summum seligas, ad Nostram pontificiam ditionem transmittendos, a Nobisque tua causa superatis quibuscumque difficultatibus, recipiendos. Poteris idcirco eorum indicare nomina, quo per Nostrum nuntium Helveticum facultas ad Nos commeandi eisdem nominatim dari possit. Tibique semper uberiora divini Spiritus munera a Deo precantes, in singularis paternae benevolentiae argumentum apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII Ianuarii MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX..

XX.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

MARTIALI ALEXANDRO

Episcopo Pictaviensi aliisque Episcopis Gallis Friburgi commorantibus

Ven. Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi notae Nobis sint, venerabiles fratres, ecclesiasticorum e Gallia profugorum aerumnae, tamen novum Nobis cumulavit dolorem vestra calamitatum, in quas plurimi eorum inciderunt, descriptio, tantoque

graviore oppressi moerore sumus, quod invenire plane, quamvis maxime cupimus, non valeamus, qua illos adiuvemus ope, vestrisque votis satisfaciamus. Hactenus recepta iam a Nobis in Nostram ditionem sunt non minus quam tria ecclesiasticorum emigratorum millia. Hunc tantum adhuc magis augere numerum, praeterquam quod multo gravius adiungeret pondus subiectis Nobis populis, praecipue regularibus, apud quos illi distributi degunt, non mediocre etiam crearet ipsis universim emigratis qui ad Nos confugerunt, novarum perturbationum periculum; quod hi populi ob iam imminentem hoc anno victus penuriam facile in illos mali huius causam multa ex parte coniicerent. Hanc ob rem potius visum est, ut hi qui hic sunt ecclesiastici emigrati encyclica epistola typis vulgata invitent hos ipsos populos ad conferendam in commune stipem pro miserrimis aliis, qui inter Helvetios commorantur; iamque hoc modo in hac ipsa ditione Nostra non parva collecta est pecunia. Hanc in se curam praecipue recepit eius et quaerendae, colligendaeque pecuniae, et ad istos ecclesiasticos transmittendae, dilectus filius Noster Cardinalis Ranutius Anconae episcopus, eamque diligenter pro sua pietate prosequitur. Hoc igitur continuato per ipsius praestantem operam subsidio, illos aliquantum sublevari, ibidemque, ubi iam substiterunt, vitam tolerare posse confidimus. Similes Nos ipsi dedimus die 21 novembris anni 1792 litteras ad universum Germaniae clerum, tam saecularem quam regularem, quibus studiosissime illum ad praestandum emigratis ecclesiasticis necessarium vitae praesidium hortati sumus, neque non aliquem non mediocrem huius sollicitudinis Nostrae fructum deinceps exstitisse gaudemus. Ipse pariter venerabilis frater Lucernensis Nuntius Noster suam, Nobis mandantibus, ad Abbates monasteriorum eius regionis misit epistolam, nec eam

certe inanem, ut intelleximus, subsecuti proventus. Ex quibus omnibus facile vobis, venerabiles Fratres, persuaseritis, quantae a Nobis ac a Nostris curae sint ad sustentandam emigratorum vitam susceptae. Itaque certi sitis omnes exquiri a Nobis rationes, Deumque optimum maximum obsecrari, ut viam aliquam ad adiuvandos ecclesiasticos a vobis commendatos Nobis ipse aperiat, quo Nostris vestrisque votis obsequi valeamus. Vobisque semper uberiora divini Spiritus a Deo precantes, in singularis paternae benevolentiae argumentum apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXII Ianuarii MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXI.

VENERABILI FRATRI

URBANO

Episcopo Dolensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex litteris ad venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatensem Nostrum Nuntium ad Tractum Rheni abs te datis die 28 novembris praeteriti anni, et ex litteris etiam a dilecto filio marchione de Dresnay ad eundem Nuntium die 21 proximi mensis decembris conscriptis, et Nobis a Nuntio ipso una cum praeclara utriusque laude communicatis, intelleximus non sine ingenti animi nostri voluptate, praedictum marchionem delectum fuisse ad imperandas catholicorum et regiorum militum copias, et ad exercendam omnem illam auctoritatem, qua opus est ad redintegrandum rerum ordinem, et antiquam provinciae Britanniae constitutionem.

Nostrae autem voluptati magna etiam facta accessio est, ubi ex citatis litteris clare perspeximus, dilectum marchionem opus huiusmodi vehemens et grave in se suscipientem arbitrari in id praesertim nitendum sibi esse atque incumbendum, ut catholica restituatur religio, imperii basis ac fundamentum; et hanc ipsam ob causam ab ipso considerari ac perpendi gravissima illa detrimenta, quae illata hactenus sunt, quaeque inferuntur quotidie praedictis catholici regiique exercitus militibus a Guillot de Folleville parocho Dolensi, dum ad se rapere ausus est nomen auctoritatemque episcopi Agrae, et Vicarii apostolici, dumque utriusque muneris huiusmodi nulliter exercuit officia etiam post Nostras in forma Brevis litteras (1) diei 31 iulii eiusdem anni 1793, quibus episcopos et fideles monuimus, ut a parochi huius fraudibus sibi caverent, eidemque parocho imperavimus, ut nulla interiecta mora utramque dignitatem temere occupatam exueret. Horum damnorum intuitu, quae vel ipsi Galliarum antistites in insula Caesareae commorantes sibi exposuerunt, ingenue Marchio profitetur, e medio tollendam omnino esse sacrilegam invasionem huiusmodi; hinc ipse minime dubitans, memoratum Guillot natum in dioecesi Dolensi, et rectorem alterius ex parochiis eiusdem civitatis fugam arrepturum statim atque legitimum pastorem suum conspiceret, auctor tibi fuit, ut una secum te in Britanniam conferres; cuius quidem voluntati ita alacri promptoque animo es assensus pro tuo in religionem studio, ut omni rerum discrimine posthabito sis illuc una cum Marchione iam iter aggressus. Significas vero, assentiente etiam ipso marchione, catholicas regiasque militum copias non semper in tua dioecesi permansuras, in qua uti legitimus pastor spirituali iurisdictione polleres, sed in

(1) Vid. sup. pag. 36.

alias quoque dioeceses facili negotio transgressuras tum Britanniae, tum aliarum provinciarum, in quibus nulla tibi esset iurisdictio, nec satis commode posses, quoties opus fuisset, ad hanc Sedem confugere: hinc ut adeo religiosum opus felicius absolvatur, postulat marchio a Nobis, tuque etiam postulas, ut omnes tibi tribuantur facultates, quae de more Vicariis apostolicis tribuuntur, quo magna cum utilitate possis legitimo ministerio fungi et apud milites, et apud fideles earum dioecesium atque provinciarum, in quas erunt milites profecturi.

Non possumus equidem satis merita laude prosequi vestrum utriusque ardorem ac studium, petitionesque vestrae consentaneae Nobis videntur esse illi declarationi, quam Nos omnibus Galliarum episcopis patefecimus citatis nostris in forma Brevis litteris diei 31 iulii, his, quae sequuntur verbis: « Si iniquorum hominum insectatio eo devenerit, ut vestras curas inutiles aut irritas fecerit, ita ut quidam sit locus, qui careat legitimo superiore ecclesiastico, hanc adeant apostolicam Sedem ii, qui tanta cum laude causam sacerdotii defendere se gloriantur; Nos enim prompto ac legitimo occurremus auxilio, quod locum habebit, donec vos dioeceses vestras regere, atque administrare possitis. » Hinc certi Nos de necessitate petitarum facultatum, volentesque uno eodemque tempore declarationi nostrae adhaerere, et aliorum confratrum iura sarta tectaque servare, opportunum ducimus distinguere catholicarum copiarum milites a populis alienarum dioecesium, in quas praedictae copiae proficiscentur.

Ad fideles quod attinet, qui militiae isti nomen aut iam dederunt, aut dabunt, sequentes Nos consuetudinem in catholicis regnis, te eligimus ac destinamus in totius exercitus Ordinarium ad instar Capellani Maioris, ita

ut possis sive per te ipsum, sive per alios idoneos ministros a te delegandos iurisdictionem exercere in fideles omnes istius exercitus in quacumque dioecesi positos cum omnibus facultatibus, quae Capellano Maiori regis utriusque Siciliae, dum milites in actu expeditionis sunt, a Benedicto XIV, felici recordatione, concessae fuerunt constitutione *Convenit* pridie nonas iulii 1741, et motu proprio IV idus novembris eiusdem anni, quorum exemplar his alligatum litteris accipies; et possis item ubique locorum exercere in memoratos fideles extraordinarias quoque facultates tibi aliisque Galliarum episcopis tributas indultis diei 19 martii et 13 iunii anni 1792, quae his litteris pariter adiunguntur. Ad alios autem fideles quod pertinet alienarum dioecesium, ad quos se exercitus conferet, tibi facultatem impertimur apostolica auctoritate consulendi spirituali dictorum fidelium bono etiam iuxta memoranda indulta, quoties tamen ea alienarum dioecesium loca careant legitimo superiore ecclesiastico: ita ut si tempore advenientis exercitus ibi iam esset, aut postea illuc accederet proprius Ordinarius, aut alius ecclesiasticus vir, legitime per Ordinarium ipsum, aut per metropolitanum, aut per hanc apostolicam Sedem delegatus, te debeas a quacumque iurisdictione exercenda abstinere, relicto eisdem libero iurisdictionis usu, sive ordinaria sit, sive delegata.

Denique illud etiam declaramus, quod tam destinatio tua in ordinarium totius exercitus, quam usus extraordinariarum facultatum in alienis dioecesibus, legitimo pastore destitutis, sit tantummodo intra limites unius anni circumscriptus, si tamdiu calamitas temporum perduraverit, nec aliter per apostolicam Sedem provisum fuerit. Faxit Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, ut felix rerum eventus respondeat votis cum tuis, tum dicti marchionis, praecipue spectantibus ad

revocandam et constabiliendam in Galliarum regno catholicam religionem, veluti Nos futurum confidimus, cum vestrum uterque palam profiteatur se nihil omissurum eorum per quae possitis in vestrum gloriosum inceptum celestem benedictionem evocare. Hoc ipsum ut fiat, Nostras etiam Deo optimo maximo adhibebimus preces, et interim tibi, praedicto marchioni, et fidelibus Britanniae universis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXV Ianuarii MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO STANISLAO XAVERIO

Comiti Provinciae

PIUS PAPA VI.

Dilectissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Litteras Tuas die 15 februarii datas cum redderet Nobis Ven. Frater Noster Cardinalis de Bernis, una etiam exposuit, quae in iis continentur postulata tua, suisque eadem est studiis prosecutus. Maxime molestum Nobis accidit Tuae eius petitionis argumentum, plurima certe commiseratione dignissimum; eiusmodi tamen, ut vel cum maxime illud in Nos suscipere velimus, sustinere tamen non valeamus. Tot iam Gallorum emigratorum millia in universam hanc Ditionem Nostram recepta sunt, ut eandem plane praegravent, repletis omnibus, quae usquam inveniri poterant hospitiis, vixque sufficientibus, praesertim in huius anni penuria ad incolas sustentandas victus copiis. Ne hos igi-

tur iam pluribus oneribus pressos ad iustas adversus Nos querelas excitemus, omnino cogimur novis emigratis, qui exire ab Etruria iubentur, aditum ad Nos praecludere. Verum ne videamur omnes, quos ipse tantopere commendas, excludere, paterna sane pietate commoti inducimur eorundem partem aliquam quoquo modo admittere; eos scilicet, qui Ecclesiastici sunt, ac alias, si qui erunt e Nostris in Gallia Ditionibus profugi, quorum peculiaris est a Nobis habenda ratio. Ceterorum indignam sortem deflemus; Deumque assidue deprecamur, ut quod Nos non valemus, illos Ipse suae omnipotentis misericordiae subsidiis foveat, ac sustentet. Ex his minime dubitamus quin Tibi persuadeas, dilectissime in Christo Fili Noster, summopere Tuis Nos affici permoverique curis, Tibique in amplius Paterni Amoris argumentum, Divinaeque opis auspicium, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae die V Martii MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXIII.

RESPONSA DATA

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

De consilio selectae Cardinalium Congregationis diversis quaestionibus eisdem Sanctitati Suae propositis.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, qua premitur Sanctissimus Dominus Noster PIUS Divina Providentia Papa Sextus, atque ardens studium iis omnibus opitulandi, qui difficillima nacti tempora Gallicanis praesunt Ecclesiis, quemadmodum in causa semper fuit, ita et nunc est, ut nihil omittat eorum, quae ostendant in tenebris lumen, ac praemonstrent viam planam

in asperis, et semitam bonam, per quam ambulent fideles, ne forte offendant ad lapidem pedes suos. Huius autem sollicitudinis, et studii innumera iam, et amplissima Galliarum Episcopi habuere documenta. Notum enim iam est non in Galliis tantum, sed in omnibus etiam catholicorum principum ditionibus iudicium Apostolicae Sedis adversus civilem constitutionem Cleri Regni Galliarum editum, ac pervulgatum variis apostolicis Litteris, quae iussu Sanctitatis Suae typis editae, et circumlatae sunt, ut fideles sibi caverent a perniciosis erroribus, qui in ea continebantur. Novum nunc accedit sollicitudinis documentum, cum Sanctitas Sua volens omnibus, quantum in se est, prodesse, in unum colligi, et typis mandari curat, ac publica fieri, et communia omnibus Gallicanarum Ecclesiarum episcopis, atque administratoribus vacantium Dioecesium communionem, et gratiam Sedis apostolicae habentibus, nec non aliis fidelibus quibuscumque, illa responsa, illasque decisiones, quae, etsi ab eadem Sanctitate Sua, audito prius consilio selectae Cardinalium Congregationis, nonnullis tantum petentibus traditae sint, non alia de causa, nisi propter peculiares aerumnosas singulorum circumstantias, adiumento tamen quam maximo praefatis episcopis, atque administratoribus esse possunt, qui, si forte in eosdem inciderint casus, habent unde regulam desumant tutissimam, ut et promptius, et accuratius gravissimis fidelium necessitatibus occurrant, nec non *ut in Ecclesiarum statu quoquo modo interim componendo, servetur ab omnibus una, et fida consensio.* Verba sunt S. Cypriani epist. 32 edit. Baluzii.

Peculiaribus hisce responsis, atque decisionibus subiungitur Indultum eiusdem Sanctitatis Suae pro fidelibus Regni Galliarum, ut ii possint hoc teterrimae insectationis tempore Indulgentias lucrari.

*

Responsa data quaestionibus.

Quaest. 1. Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio Eucharistico assistere celebrato a Parocho, aut simplici Presbytero, qui civicum iuramentum emiserint?

Quaest. 2. Num fidelibus liceat Dominicis aliisque Festis de praecepto diebus Eucharistico Sacrificio assistere a praememoratis Sacerdotibus celebrato?

Quaest. 3. Num fidelibus liceat assistere vesperis quae celebrantur, aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione Parochi, aut Presbyteri iurati?

Resp. Non licere fidelibus, sive diebus ferialibus, sive Dominicis, aliisque festis de praecepto diebus, missae assistere celebratae a Parocho vel simplici Presbytero, qui civicum iuramentum emiserint; neque eisdem fidelibus licere vesperis, publicisque precibus assistere, quibus Parochus, vel simplex Presbyter iuratus praeest. Cum enim vetita expresse fuerit a Sanctissimo Domino Nostro per Litteras apostolicas in forma Brevis diei 19 martii superioris anni quaevis communicatio *praesertim in divinis cum intrusis, et refractariis quocumque nomine appellentur,* evidens profecto est vetitam eo ipso fuisse communicationem in divinis cum Parochis, simplicibusque Presbyteris iuratis, quos refractariorum nomine venire nemo prudens ambiget. Iam vero si fideles assisterent missae sacrificio celebrato a Presbyteris iuratis, sive ferialibus diebus, sive diebus festis de praecepto, aut si assisterent vesperis, aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione Parochi, aut Presbyteri iurati, cum ipsis profecto in divinis communicarent. Ex quo illud consequitur, abstinere fideles debere ab assistendo tum diebus ferialibus, tum diebus festis de praecepto, missae sacrificio celebrato a Parochis, et sim-

plicibus Presbyteris iuratis, atque ab assistendo vesperis, ac aliis publicis precibus, quae recitantur sub assistentia Parochi, aut simplicis Presbyteri iuramento civico obstricti.

Quaest. 4. Num absolutionem, et communionem quovis anni tempore, praesertim vero tempore Paschali a Parocho iurato petere fidelibus liceat.

Resp. Eadem prorsus ratione ac ad praecedentes.

Quaest. 5. Num Parochum iuratum fideles adire licite possint pro Sacramentis Baptismatis, et Matrimonii.

Resp. Non licere, excepto tamen (ubi res sit de Baptismo) casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare.

Quaest. 6. Num Catholicis licitum sit patrini munere fungi in Baptismate administrato a Parocho, sive Presbytero iurato.

Resp. Non licere fidelibus patrini munere fungi in Baptismate administrato a Parocho, sive Presbytero iurato, ne cum ipso in divinis communicent.

Quaest. 7. Num fidelibus liceat patrini munere fungi in Baptismate collato a Parocho intruso.

Resp. Non licet fidelibus munere patrini fungi in Baptismate a Parocho intruso administrato. Cum enim Parochus intrusus schismaticus profecto sit, eiusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici infantem de Sacro Fonte levantis in Baptismate a Parocho intruso administrato, quacumque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam catholicus hac sua actione cooperatur in schismate, immo schismatis crimen ipso suo facto approbat, intrusumque pro legitimo Parocho agnoscit, et colit, ut fusius declaratur in instructione Sanctitatis Suae iussu exarata die 26 septembris anni 1791 super Baptismo, Matrimonio et Sepulturis.

Quaest. 8. Num mulieribus post puerperium fas sit praesentes se sistere Parocho, aut Presbytero iurato, ut benedictionem ab ipso accipiant, quae in Rituali Romano praescripta legitur: ***Pro benedictione mulieris post partum;*** itemque missae assistere a Parocho, aut Presbytero iurato celebratae.

Resp. Non licere mulieribus puerperio expleto praefatam accipere benedictionem a Parocho, vel Presbytero iurato, quoniam id esset cum ipso in divinis communicare: eo vel magis quod nullo adstringuntur praecepto mulieres accipere post partum benedictionem, sed praestare id solent solummodo *ex pia, ac laudabili consuetudine*, ut legitur in Rituali Romano: neque ferendum esse mulieres ea occasione assistere missae celebratae a Parocho, vel Presbytero iurato, ob rationem saepe saepius indicatam.

Quaest. 9. Num licite fideles in articulo, vel periculo mortis possint absolutionem recipere a Sacerdote iurato, et a Parocho intruso.

Resp. Non esse improbandam rationem, quam inierunt nonnulli Gallicani praesules, qui in articulo, vel periculo mortis, poenitentiae Sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a Sacerdotibus iuratis, ac etiam a Parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico Sacerdote.

Quaest. 10. Num licitum sit Sacerdotibus non ieiunis Hostiam consummare a Sacerdotibus catholicis consecratas, ne in manus deveniant intrusorum.

Resp. Licere Sacerdotibus non ieiunis Hostias consummare a catholicis Sacerdotibus consecratas, ne in manus intrusorum veniant, quoties alius Sacerdos ieiunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiae iisdem Hostiis debitae.

Quaest. 11. Num fidelibus liceat genua flectere coram Hostiis consecratis ab intrusis.

Resp. Fideles genua flectere debere coram Hostiis consecratis ab intrusis, cum in iis contineatur vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguis, una cum Anima, et Divinitate D. N. I. C. Ne vero in eiusmodi cultu praestando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum Sacramentum deferunt.

Quaest. 12. Quibus poenis subiiciendi sint sive Ecclesiastici, sive laici, qui praestiterunt iuramentum de libertate, et aequalitate servanda.

Resp. Non esse locum pro nunc poenis canonicis, nondum edito per Sanctissimum Dominum Nostrum iudicio super praefato iuramento, sed monendos esse et laicos, et Ecclesiasticos, qui idem iuramentum praestiterunt, ut consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat.

Quaest. 13. Postulata interdum fuit a Sanctissimo Domino Nostro pro aliquo ex Vicariis generalibus dioecesium regni Galliarum, et pro aliis simplicibus Sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum Catechumenorum, et sanctum chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum, et deerat pariter episcopus consecrator, tum in dioecesi carente triplici oleo supradicto, tum in vicinis dioecesibus legitimo Pastore orbatis.

Huic petitioni satisfactum est sequentem in modum. Non expedire videlicet facultatem tribui simplicibus Sacerdotibus consecrandi triplex oleum praememoratum, cum deprehensum fuerit insuetum esse in Ecclesia Latina huiusmodi potestate simplices Presbyteros ab apostolica Sede insigniri: a qua quidem regula eo minus recedi non debere iudicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem

dioecesibus habere. Ne autem propter deficientiam sancti chrismatis, et olei infirmorum carere cogantur fideles Sacramentis tum confirmationis, tum extremae unctionis, opportunum visum est monere Vicarium Generalem proponentem huiusmodi petitionem, muneris sui esse luctuosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis, vel saltem ex remotis regionibus in dioecesim, in qua ipse fungebatur munere Vicarii Generalis, transferretur citius ac fieri posset oleum infirmorum, et sanctum chrisma: quod profecto deprehensum fuit non esse difficile, si debita cum cautione oleorum transportatio perageretur. Iis autem habitis, ne in posterum deficerent, insinuatum ei fuit, ut prae oculis haberet regulam, quae in Rituali Romano praescribitur *Tit. 2. cap. 1. §. 23:* Si deficere videantur vetera olea, et chrisma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate: neque praetermissum fuit eundem certiorem reddere, posse oleo benedicto adiungere non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adiunctum consideratum separatim, et in unaquaque admistione, sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas maior non benedicti; quemadmodum solutum fuit a Sacra Congregatione Concilii die 23 septembris anni 1682.

Indultum uti supra (pag. 83) concessum fidelibus Regni Galliarum, ut possint hoc persecutionis tempore Indulgentias lucrari.

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis benigne indulget Fidelibus regni Galliarum ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit, ut deficientibus sacerdotibus, qui confes-

siones excipere valeant praefixo tempore, fideles utriusque sexus eiusdem regni indulgentias consequi possint tum ab eadem Sanctitate Sua, tum a Romanis Pontificibus praedecessoribus concessas, Sacramentali Confessione non praemissa, modo actum contritionis eliciant, cum proposito confitendi quamprimum fieri poterit.

Item eadem Sanctitas Sua benigne indulget, ut iidem fideles propter deficientiam Ecclesiarum, indulgentias consequi valeant, preces a Sanctitate Sua, aut a praedecessoribus suis praescriptas recitantes privatis in domibus ad instar Oratoriorum decenter redactis, in quibus catholici coguntur sacra facere.

Ex aedibus Vaticanis die I Aprilis anno MDCCXCIV.

F. X. CARD. DE ZELADA.

XXIV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO THEODORO

Duci Bavariae, et Sulrbacensi Comiti Palatino Rheni S. R. I. Principi Electori

PIUS PAPA VI.

Dilectissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nihil novum Nobis inexpectatumque de Te nunciatum est, dilectissime in Christo Fili Noster, cum intelligeremus quantopere misertus sis eorum Ecclesiasticorum, qui ex Gallia ob Religionem extorres in Tuam Ditionem confugiunt, ubi apertum inveniunt asylum; satis enim Nobis perspectus est a multo tem-

pore, multisque egregiae pietatis exemplis comprobatus animus Tuus, qui quodcumque Dei et Ecclesiae causam, iustitiaeque, ac ipsius etiam humanitatis rationem respicit, id ipsum sua sponte aggreditur, suaeque potentiae robur illuc intendit. Etsi morem hunc Tuum non ignoremus, tamen non possumus nunc non vehementer gaudere, ac Tibi ipsi declarare gaudium hoc de Te Nostrum, cum videamus tam praeclaras, tamque opportunas a Te suscipi partes meritissimas Fidei Confessores recipiendi, iuvandi, sustentandi, ac etiam Tuo exemplo, Tua encyclica Epistola excitandi ceteros praesertim Religiosos Viros, quorum in Tua Bavaria, Coenobia, ac Monasteria sunt plurima; in quibus in illos profugos, excrescente in dies eorum numero, hospitalis charitas tamquam in fratres exerceri possit, eaque ecclesiastica bona quorum illis copia non deest, cum eisdem pie libenterque communicari.

Illa Epistola Tua die 25 ianuarii huius anni plane consentit cum illa quam Nos ipsi die 21 novembris anni 1792 dedimus ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Abbatissas, Capitula, Clerumque tam saecularem, quam regularem Germaniae, cuius non mediocrem exstitisse pluribus in locis fructum laetati sumus. Si fors istuc eiusdem rara pervenerint exempla, plura nunc transmitti mandamus ad Ven. Fr. Iulium Caesarem Archiepiscopum Athenarum, Ordinarium Nostrum apud Te Nuncium, quae ab eo istic ubique dispertiantur, ut omnibus pateat, quanta sit Nostra de emigratis Ecclesiasticis sollicitudo, quamque eiusmodi charitatis munus incumbat in Fideles omnes, praecipue vero, qui in Clero sunt, quique alios debent hac ipsa pietate praecedere. Hortationem illam Nostram, nova ac Tua confirmari mirifice gaudemus, valdeque confidimus fore ut communi operae, curaeque Nostrae abunde satisfieri ab omnibus Nostrae pariter exemplo com-

motis contendatur. Interim dum summam, singularemque Tibi habemus pro hoc Tuo eximiae pietatis studio gratiam, hoc ipsum officium Nostrum cumulamus Apostolica Benedictione, quam divinae benignitatis auspicem, Tibi, dilectissime in Christo Fili Noster, in paternae etiam benevolentiae, mutuaeque inter Nos coniunctionis pignus amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die XII Aprilis MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXV.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTO

Episcopo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex litteris Tuis, Ven. Frater die tertia huius mensis datis, atque ex incluso Protocolli Folio intelleximus, qualis esse pergat Tuae Spirensis dioecesis status (quantum scilicet a Religioso Viro, fideque digno Raeder, qui ibidem aliquo tempore in sua Parochia substitit, cognoscere potuisti), quae adhuc ab impiis Gallorum copiis occupari, ac vexari, profanarique non desinit. Iis perlectis renovatum in Nobis sensimus, quem primum percepimus maximum dolorem; cum templa direpta, sacra omnia dispersa, irrisa, conculcata videremus.

Non defuit tamen, quod in tanto moerore Nos aliqua consolationis spe perfunderet, quod nempe ante adventum etiam ipsius Raeder, vulgatus late rumor

de Organi, quod iam dirutum erat, sonitu, ac vocis humanae cantu ad Te detulerat, sed hic, ut ipse pro Tua prudentia agnoscis, non statim, nec facile praestanda est fides huiusmodi miraculorum rumoribus; diligenterque ante de veritate inquirendum, interrogandique testes, qui interfuerint, et in quos nulla cadere exceptio possit: idque te facturum scribis cum dabitur copia, ac Nobis expositurum rei, qualiscumque fuerit, eventum.

Dum id ipsum a Te audire exspectamus, interim in magnam Tecum venimus miserationis Divinae fiduciam fore, ut quamprimum et Dioecesis, et Principatus Spirensis Tuus, a saevissimis istis liberetur, et Religionis, et Potestatis omnis hostibus, tandemque ab immensis quas pertulit publicae rei procellis in conspicua ipsius Dei ope, atque in Tuae solicitudinis auctoritate respiret. Haec vota Nostra coniungimus cum Apostolica Benedictione, quam Tibi, Ven. Fr. in Nostrae etiam singularis Benevolentiae pignus ex animo ac peramanter impertimur.

Datum Romae die XXXI Maii MDCCXCIV. Pontificatus Nostri Anno XX.

XXVI.

SACRAE CONGREGATIONI DEPUTATAE

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPA VI.

Super negotiis Ecclesiasticis Regni Galliarum proponuntur sequentia Dubia.

1. Sacerdotes pure et simpliciter, id est, absque ulla restrictione, praestiterunt Sacramentum dictum civicum, imperatum vigore Decreti emanati die 27 no-

vembris anni 1790 (1); et dederunt illud, *emissis iam prioribus Litteris* SS. D. N. P. monitoriis sub data 13 aprilis 1791. Subiacent ne censurae per has Litteras latae?

Dubitandi causae eae sunt: 1. praefatas Litteras eos solum ferire censura qui ante diem datae illarum, praedictum *iam emiserunt* iuramentum. Quotquot sunt, inquiunt, qui civicum iuramentum pure et simpliciter etc. emiserunt etc. (haec alia verba, *vel emiserint*, litem omnem, si fuissent addita, solvissent): nam censurae cadunt in personas non in delicta: ideo personae in textu legis, clare et determinate sub respectu proprio designandae sunt; et in dicta lege designantur personae tantum culpabiles ante, non post tempus quo lex lata fuit. 2. In poenalibus, ut sunt censurae, stricta debet interpretatio fieri, nec ab uno ad aliud valet illatio: unde ii, qui post datam dictarum litterarum praefatarum emiserunt iuramentum, subiacere non videntur legi adversus culpabiles delicti praeteriti latae, non contra futuri.

2. Sacerdotes sub data diei 13 aprilis 1791 iam civicum verbis ediderunt iuramentum cum clausulis opportunis; at postea factis impleverunt quod exactum fuerat puro et simplici iuramento, scilicet adhaerentes Praelato intruso, illius recipientes mandata, atque dispensationes, et offerentes ei parvulos pro suscipiendo ab eo confirmationis Sacramento etc. Haec, actu cum sint posteriora datae litterarum apostolicarum, dubium aliud incutiunt; utrum videlicet hi Presbyteri subiaceant censurae adversus eos tantum latae qui ante hanc epocham, pure et simpliciter civicum remiserunt iuramentum.

3. Presbyteri iuramentum novum dederunt, impe-

(1) Vid. tom. I. in Append. pag. 415.

ratum mense novembri 1791 postquam constitutio cleri extracta fuit a corpore constitutionis generalis regni, et relata in Codice legum vigore actus constitutionalis a rege accepti et confirmati mense septembri anno 1791. Quaeritur, an isti Presbyteri teneantur legi antea latae contra purum iuramentum civicum de observanda et tuenda generali regni constitutione.

Ratio affirmandi peti posset a substantia iuramenti quod idem manet in utroque casu, et aeque tendit ad acceptandam et tuendam cleri constitutionem, non quidem ut portionem constitutionis generalis regni, verum ut legem in se subsistentem.

Rationes vero dubitandi sunt: 1. ex eo quod istud iuramentum sit praestitum post datam 13 aprilis litterarum apostolicarum. 2. Quod formula istius iuramenti, utpote non cognita, non potuit esse in textu legis latae sub data memorata 13 aprilis etc.

Sanctissimus etc. De consilio selectae Cardinalium Congregationis ad tria quae proponuntur dubia rescribendum mandavit, ut sequitur.

Ad *primum:* Ecclesiasticos, qui pure, et simpliciter iuramentum civicum praestiterunt, post publicatas eiusdem Sanctitatis Suae litteras diei 13 aprilis anni 1791, certo certius subiacere censurae suspensionis latae in praelaudatis apostolicis litteris; idque colligi tum ex integro contextu praefatarum apostolicarum litterarum, tum ex declaratione ab eadem Sanctitate Sua facta in apostolicis litteris diei 23 eiusdem mensis, et anni, cum praedictam poenam suspensionis extendit ad illos omnes Ecclesiasticos Avenionis, et comitatus Venaisini, qui iureiurando amplexi, et exsecuti sunt, *vel umquam amplecterentur, et exsequerentur* civilem cleri constitutionem.

Ad *secundum:* Ecclesiasticos de quibus in dubii

propositione, non esse obnoxios censurae suspensionis a Sanctitate Sua inflictae in praememoratis litteris diei 13 aprilis anni 1791 adversus eos, qui civicum iuramentum pure, et simpliciter praestiterunt: obnoxios tamen esse censuris a iure statutis contra fautores, vel adhaerentes haeresi, aut schismati: eos vero, qui ab intruso administrationem Parochiarum acceperunt, obnoxios esse etiam censurae suspensionis statutae in praefatis apostolicis litteris in §. *Ad praecavenda*.

Ad *tertium*, rescribendum mandavit affirmative.

Romae ex Aedibus Quirinalibus die XVI Iulii anni MDCCXCIV.

F. X. Card. de Zelada.

XXVII.

RESPONSA

Diversis quaestionibus, et facultates concessae

A SUMMO PONTIFICE

PIO PAPA VI.

Die 26 Iulii 1794.

PETITUR 1. Facultas celebrandi missam absque altari, absque ministro, et absque ornamentis.

R. SANCTISSIMUS, de consilio sacrae cardinalium congregationis, attentis luctuosissimis circumstantiis de quibus agitur, benigne concessit oratoribus facultatem celebrandi missae sacrificium sine ministro, et supra altari portatili. Iisdem praeterea concessit facultatem consecrandi altaria portatilia cum oleis tamen ab episcopo benedictis, et benedicendi sacerdotalia indumenta, non tamen celebrandi in habitu laicali:

item iisdem facultatem concessit delegandi has ipsas facultates sacerdotibus sibi bene visis, non iuratis, non intrusis, neque schismati quovis modo faventibus. Quas facultates declaravit perdurare ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit.

2. Quid agendum cum parocho utriusque iuramenti macula polluto, et nunc poenitentiam petente, quem constat pseudo-episcopo, schismati multoties favisse? Qua ratione ipsi iniungenda retractatio, quam si publicam emittat, ineluctabili nece statim plectetur?

R. Ad primum dubium rescribendum mandavit: regulas servandas pro reconciliatione parochi utriusque iuramenti macula polluti, nunc vero poenitentis, pro eo praecise quod spectat primi iuramenti praestationem, constitutas ab eadem Sanctitate sua fuisse in litteris apostolicis, diei 19 martii 1792 (1); pro eo vero quod spectat secundi iuramenti praestationem, parochum consulere debere conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat. Demum attentis peculiaribus facti circumstantiis, benigne concessit, ut differre possit retractationem publicam civilis iuramenti ad tempus arbitrio administratoris, non praetermissa tamen retractatione praedicti iuramenti secreto facienda coram catholicis.

3. Quid agendum cum secundi aequalitatis et libertatis iuramenti labe pollutis, si poenitentiam petant, nec tute praestitum iuramentum publice retractandi spes ulla affulgeat?

R. Ad secundum dubium rescribendum mandavit: satis esse quod si praestiterunt iuramentum libertatis et aequalitatis consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat, neque ulla lege usque modo obstringi, nondum prolato iudicio Sanctitatis suae, ad emittendam huiusmodi iuramenti retractationem.

(1) Vol. 1. pag. 265.

4. Qui secundum illud iuramentum emiserunt, ne annua sibi debita pensione carerent, poterunt ne, absque publica retractatione illius, dictam pensionem recipere et requirere, quia non persolveretur, si innotesceret retractatio? In hoc casu sunt tum multi Equites Ordinis militaris sancti Ludovici, qui ad conservandam castrensem pensionem iampridem obtentam, tum moniales quae, ne constitutum nunc ipsis vitalitium censum amitterent, dictum iuramentum emiserunt.

R. Ad tertium, rescribendum mandavit satis provisum in responsione ad secundum.

Ex aedibus Quirinalibus, die XXVI Iulii MDCCXCIV.

F. X. Card. De Zelada.

XXVIII.

VENERABILI FRATRI

Episcopo Leodiensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quantus dolor Nos invaserit primum ex publicis nunciis, tum ex Litteris Tuis, Ven. Frater, die quarta Augusti datis, ipse magis colligere potes, quam Nos explicare, cum tam repente conversam istic belli fortunam intelligeremus, ac post tot Belgicas catholicas urbes captas direptasque ab immanissimo Religionis, Deique ipsius, nec non et communi humani Generis hoste, iam esse in maiorem etiam Tuae Ditionis ac Dioecesis partem eius armorum vim illatam; Teque propterea coactum cum universo Clero tuo tam Saeculari quam Regulari, ex impiis manibus fuga rursus subtrahi, ac in tutum evadere. Cum maxima inde pars

tui moeroris in Nos redundaret, ac in Tuum non magis, quam in Nostrum caput tot Catholicorum calamitates cumularentur, quid aliud facere potuimus, quam inter lacrimas ac suspiria manus mentemque ad caelum attollere et Omnipotentis Dei iudicia venerabundi adorare? Deinceps aliquantum collecto animo ad Eius infinitam respeximus misericordiam, qui per tot renovatas aerumnas fidem suorum probari spemque in se omnem proiici velit; demum suam Illi Ecclesiam, coetusque catholicos omnes, Teque ipsum praecipue tuumque Populum quanta maxima potuimus spiritus contentione, ne a nefariis hominum perditorum copiis proteri sinat, et commendavimus et precari numquam intermittimus.

Ad Te vero, Ven. Frater, singulariter convertimur, Tibique iampridem perspectam Nobis animi Tui fortitudinem commemoramus, quae maxime in christiana patientia, et in divinae providentiae obsequio, reddendisque vel ob ipsas tribulationes Deo gratiis elucescit. Sed deesse Tibi ipse, Ven. Frater, non potes, ex ipsa Religionis nostrae doctrina promptas Tibi ac paratas suggerens rationes, quae et verae Tibi consolationi esse possint, magisque idoneae hoc tempore sint ad caelestem opem, qua unice niti debemus, impetrandam. Utinam tandem exoptatissimum illud adveniat tempus, quo Noster paternus animus, ut nunc vestris aegrescit aerumnis, ita conversa stabilitaque vestrarum rerum ratione vestro gaudio laetetur. Ac ut in nos propensiora divinae pietatis viscera per Apostolicam Benedictionem reddamus, eandem summo paterni cordis studio, quantum fieri a Nobis potest, confertam cumulatamque Tibi, Ven. Frater, Tuisque omnibus peramanter impertimur.

Datum Romae die XXVII Septembris MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXIX.

VENERABILI FRATRI

PETRO LUDOVICO

Archiepiscopo Ebrodunensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Accepimus Fraternitatis tuae litteras diei 10 Martii huius anni plenas observantiae ac devotionis erga Nos tuae, quibus alligatam misisti pastoralem Instructionem, de qua Nostram rogasti sententiam, antequam eam publica luce donares. Huius scopus vix Nobis innotuit, statim animo concepimus summopere commendandum esse Fraternitatis tuae studium, quo excitatus luctuosissimis hisce temporibus proeliatus es proelia Domini. Illud enim suscepisti pertractandum argumentum, quo nullum forte utilius pro spirituali tui gregis salute, nullum quoque opportunius videtur esse pro miserrimo illo statu, ad quem redacta nunc est in Galliis religio: omnes siquidem norunt quid illius regni Novatores animo suo conceperint, quid opere moliti, quid denique vi etiam adhibita executi fuerint, ut Religionem ipsam non labefactarent solum, sed etiam (si fieri posset) penitus subverterent. Ut igitur horum malignantium muta fierent labia dolosa, nostrae Religionis veritatem a captiosis argumentationibus philosophorum huius saeculi vindicandam suscepisti; ut qui fideles stant confirmentur, qui vero ambulant in tenebris et umbra mortis ad Ecclesiam, lucis et veritatis fontem, redeant.

*

Optabamus, et quidem vehementissime, Fraternitatis tuae votis annuere, Nostrumque iudicium de singulis tuae pastoralis Instructionis capitulis, de quibus Nos consulueras, aperire tibi: sed cum praepediti gravissimis christianae reipublicae negociis, id statim facere non potuerimus, opportuniorem expectabamus occasionem, ut id plenius exequeremur. Ex his facile intelliges, cur hactenus moram fecerimus respondendi, et quare etiam non potuerimus singula tuae pastoralis Instructionis capita expendere, ut absolutum de iis Nostrum tibi iudicium manifestaremus. Quam quidem agendi rationem, eandem ob causam, sequi coacti fuimus cum quampluribus aliis Galliae Antistibus; qui, eodem quo Fraternitas tua spiritu devotionis erga hanc Apostolicam Sedem ducti, suas pastorales epistolas ad Nos miserunt.

Rebus ita se habentibus, retulit Nobis dilectus Filius Noster S. R. E. Cardinalis de Zelada, redditam sibi esse Fraternitatis tuae epistolam scriptam sub die quinta Augusti currentis anni; qua querebaris nullum hactenus a Nobis accepisse responsum, eodemque tempore cupere te vehementer, ut prioribus tuis litteris responsio quamprimum daretur. Quare cum ex una parte urgeremur tuis Litteris, ex altera vero apprime intelligeremus pastorales curas Nostras non minui, sed in dies augeri propter difficillima christianae reipublicae tempora, aliquod dandum Fraternitati tuae responsum arbitrati sumus, quod praesentibus his Nostris litteris facimus.

Quamvis autem ea omnia pastoralis tuae Instructionis capita, quae ad Religionem nostram contra Novatorum commenta defendendam pertinent, ita perpendere non possimus, ut ad singula respondeamus, unum tamen admonendum te esse ducimus in ea Iustructionis tuae parte, quae regulas praescribit a sacerdotibus obser-

vandas cum Religio in Gallia restituetur, quod certe brevi eventurum speramus. Quas quidem regulas et accuratas et sacris canonibus apprime respondentes deprehendimus, si illa excipiatur quae secundo loco ponitur: qua nimirum cavetur, Hostias a schismaticis sacerdotibus consecratas, quas sacerdotes catholici reperient, aut in Corporali reponendas esse, aut expectandum esse donec in Tabernaculo consumentur; tum vero comburendas esse, earumque cineres in sacrarium seu piscinam coniiciendos. Qua in re, ut omnis amoveatur ambigendi occasio catholicis sacerdotibus, qui praedictae regulae paruerint ad verbum, operae pretium ducimus Fraternitati tuae significare, procedendum esse cum distinctione. Aut enim nullum subest periculum, veneno infectas esse Hostias a schismaticis sacerdotibus consecratas; et tunc a sacerdotibus catholicis consumendae omnino erunt, ne irreverentiae periculo exponantur. Quod si periculum adest veneno infectas esse, asservandae erunt, donec species sacramentales fuerint omnino corruptae; et tunc satius erit, ut non concrementur, sed post omnimodam corruptionem in sacrarium seu piscinam iniiciantur.

Ceterum omnes regulas opportunas ad medendum eo meliori, quo fieri potest modo, multiplicibus iisque gravissimis malis, ex luctuoso schismate, quod in Galliis grassatur obortis, constituemus in generali Instructione ab omnibus Gallicanis Antistitibus servanda, cui concinnandae sedulam navamus operam: sed tam cito ad finem pervenire quam vellemus non poterimus, propterea quod graves occurrunt difficultates, dissentientibus inter se vel ipsis Galliarum Episcopis; quorum pars unam, pars aliam a Nobis rationem praescribi velint. Perge interim, Ven. Frater, ut coepisti, certare bonum certamen, dum Nos tibi adprecamur, tibi cupimus, tibi exoptamus, ut Deus Optimus Ma-

ximus, sine quo nihil est validum, nihil est sanctum, ita multiplicet super Fideles tuae dioecesis misericordiam suam, ut caelesti ipsius gratia adiuti declinent a malo et faciant bonum. Tibique Nos tuoque gregi Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae die I Octobris MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXX.

DILECTO FILIO NOSTRO

IOANNI HENRICO S. R. E. PRESBYTERO CARD.
A FRANKENBERG

Archiepiscopo Mechliniensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi plurimo animi Nostri moerore affecti fuerimus, cum primum audissemus Gallorum irruptiones in provincias Belgicas, ex tuis tamen litteris non solum renovatum in Nobis sensimus dolorem Nostrum, sed maiorem etiam in modum amplificatum. Ea enim scribis de vestra in externas regiones fuga, de adductis in Galliam inter ceteros clari nominis sacerdotibus, de spoliatis templis avectisque Lutetiam pretiosis exuviis, peiorumque etiam in Ecclesiam catholicosque malorum instantibus periculis: quae omnia Nos inter lacrimas et suspiria divina adorare consilia, iisque animum submittere, unaque intensissimis assiduisque obsecrationibus omnipotentem Eius misericordiam implorare, singulanter admonuerunt. Nihilo tamen minus cum hoc Nostro Illius supernae voluntatis obsequio coniungimus

numquam dimittendam Eiusdem miserationis spem, eaque unice in his communibus gravissimis aerumnis sustentamur ac solamur. Quod vos etiam ut agatis in tantis rerum vestrarum perturbationibus, neque umquam ab Illius ope avellatis fiduciam vestram, etiam atque etiam hortamnr ac rogamus.

At in tantis dolendi causis aliquod cepimus ex Litteris tuis solatium, dum quae apud Batavos incrementa facta sint *facilitatum quibus catholica Fides gaudet,* Nobis luculenter describis. Novam ac inauditam antea primorum eius reipublicae Capitum erga Catholicos benevolentiam post Deum tribuis sollicitudini Nuncii Nostri Ven. Fratris Caesaris Archiepiscopi Nisibeni, qui multa istic his temporibus peropportuna tam verbo quam exemplo peragit ad rem catholicam provehendam, ipsique Reipublicae contra Gallos communiendae profutura. De hoc ipso gratias misericordi Deo persolvimus, ipsumque Nuntium Nostrum, quem antea plurimum ob sua merita dileximus, multo nunc habemus ex hoc praeclaro testimonio tuo cariorem. Deumque iterum atque iterum obtestantes, ut tantas populorum procellas ad tranquilliora Ecclesiae tempora referat, Apostolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili Noster, tuisque omnibus in caelestium donorum auspicium, ac in Nostrae etiam paternae caritatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae die VIII Novembris MDCCXCIV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXXI.

ALTERA PROROGATIO

FACULTATUM CONCESSARUM

A SS. D. N.

PIO PAPA VI.

Archiepiscopis, Episcopis, ac Dioecesibus Administratoribus Regni Galliarum, nec non Avenionis, et Comitatus Venaisini, Sabaudiae, aliorumque locorum, quae persecutioni sunt obnoxia.

Cum perseverent adhuc infelices circumstantiae regni Galliarum, Avenionis, comitatus Venaisini, Sabaudiae, aliorumque etiam locorum, in quibus fideles legitimis Pastoribus destituuntur, nec possunt absque gravi discrimine et incommodo adire hanc apostolicam Sedem; Sanctissimus Dominus Noster, cuius oculis quotidie obversantur oves et agni suae universali sollicitudini et curae concrediti, quique indesinenter particeps est calamitatum illorum, consulere volens spiritualibus eorum necessitatibus eo meliori modo, quo fieri potest, novo hoc Indulto concedit praefatis archiepiscopis, episcopis, et dioecesium administratoribus prorogationem omnium singularumque extraordinariarum facultatum ad alium annum, a die expirationis cuiuslibet Indulti incipiendum, si tamdiu temporum calamitas perduraverit, iisdem legibus et conditionibus, quae prioribus Indultis praescriptae sunt, quaeque fuerunt declaratae in prorogatione die X Decembris MDCCXCII (1).

Datum ex Aedibus Vaticanis die XV. Decembris MDCCXCII.

F. X. Card. de Zelada.

(1) T. I. pag. 366.

XXXII.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex tuis peracceptis litteris, dilecte Fili Noster, in quibus faustum felicemque recentem hunc annum pro tua pietate Nobis adprecaris, ac singulare tuum in Nos studium perspectamque iam in S. Sedem observantiam, non tam ex horum dierum more, quam ex intimo animi sensu confirmas, incredibile quam varie affecti fuerimus; primum dolenter ob tot tantosque casus tuos, cum ex una civitate in aliam migrare cogeris ad advenientes hostes declinandos; tum et iucunde, cum vires tibi in perferendis tot aerumnis Deo dante sufficere, et miram tui praestantis animi in christiana patientia ceterisque ex religione profectis virtutibus constantiam ita miraremur, ut gratias ageremus Domino Nostro Iesu Christo, qui ex ipsis tribulationibus tot insignium virorum merita, quibus Ecclesiam illustraret, in lucem eduxerit, publiceque ad Fidelium omnium imitationem proposuerit.

Nihil porro est, dilecte Fili Noster, quod Nobis gratuleris, tamquam Nos Ecclesiam Nostris conatibus tutati simus, Nostraque vigilantia eam hactenus obtinuerit haec Sedes pacem, qua frui e longinquo videmur. Utinam pax aliqua tandem illucesceret, et non

omnia adhuc essent incerta, ambigua, atque infida ab illo hoste, qui undique irruptiones molitur, diffunditque quoquoversus suorum armorum terrores. At nulla profecto formido Nos ab illa spe deiicere potest, qua in divino solidamur praesidio; cuius tot egregia iam retulimus contra hostiles conatus documenta. Ab eo pacem assidue flagitamus, sed eam pacem, quae Ecclesiae proficiat, quae amissa reparet, quae dissipata congreget, quae dispersos pastores fidelesque ceteros ad sua revocet sacra, templa, ministeria, aberrantesque a salutis via ad amissum veritatis lumen inducat. Hanc Nos tecum et cum similibus suspiramus pacem, ac vobiscum numquam interrupta vota coniungimus. Tibique, dilecte Fili Noster, ut et felicem huius anni ingressum, et feliciorem exitum in Domino consequaris, Apostolicam Benedictionem divinorum munerum auspicem peramanter impertimur.

Datum Romae die XXI Ianuarii MDCCXCV, Pontificatus Nostri anno XX.

XXXIII.

RISPOSTA

Alla Memoria trasmessa con la di Lei lettera degli 8 Marzo 1795.

Presosi in considerazione dalla particolar congregazione deputata sugli affari ecclesiastici di Francia, il contenuto della detta memoria, è venuta nella determinazione coll'approvazione di Nostro Signore, di rendere inteso chi ha promosse le istanze nella detta memoria delle risoluzioni prese rapporto alle medesime.

1. Riguarda la prima il giuramento di libertà e di eguaglianza.

R. Circa questa istanza, basta che sappia, che Sua Santità non ha ancora pronunciato il suo solenne definitivo giudizio, rapporto al giuramento suddetto; ma ha soltanto ammonito e i laici, e gli ecclesiastici, che hanno prestato tal giuramento, *ut consulant conscientiae suae cum in dubio iurare non liceat,* come rilevasi dalla risposta alla questione 12 impressa fra le risposte date da Sua Santità *de consilio selectae cardinalium congregationis diversis quaestionibus eidem Sanctitati Suae propositis,* delle quali risposte per norma se ne acclude un esemplare.

2. Nella seconda istanza si dimanda la fissazione della condotta da tenersi circa gli ecclesiastici rei di scisma.

R. Questa condotta è stata da Sua Santità fissata ne' suoi Brevi de' 19 Marzo e 13 Giugno 1792, dei quali ancora si annette copia, onde conviene, per non errare, uniformarsi interamente a ciò che disponesi nei Brevi suddetti. Se a Dio piacerà restituire la pace all'afflitta Chiesa di Francia (come ardentemente si desidera), la Santità Sua si darà il pensiero di trasmettere ai Vescovi quel piano di regolamento che giudicherà il più adattato.

3. Nella terza istanza si dimanda se, attese le luttuosissime circostanze rilevate nella memoria, possano i sacerdoti approvati per confessare e amministrare in una Diocesi, confessare e amministrare in un'altra Diocesi.

R. Sebbene i suddetti sacerdoti non possano *de iure* confessare in altra Diocesi, pure Sua Santità, considerate le sopraddette circostanze veramente deplorabili, vi accorda d'approvare che un sacerdote approvato per una Diocesi possa pure confessare in un'altra Diocesi, purchè non sia nè giurato, nè in qualsivoglia modo aderente allo scisma.

4. Si dimanda in 4. luogo che Sua Santità deputi un vicario rivestito delle opportune facoltà per tutta l'estensione di Francia, quali facoltà debbono durare finchè i vescovi stessi abbiano stabiliti i propri vicari, perchè mancando i legittimi Pastori, non si può con essi avere comunicazione.

R. Lasciando da parte, se convenga o no, che Sua Santità deputi un vicario Apostolico per la Francia; è necessario che l'autore della memoria indichi precisamente quali siano quelle Chiese prive di legittimi Pastori, affinchè Sua Santità avutane contezza possa dare, come ha fatto in tutte le altre delle quali ha avuta notizia, quelle providenze che saranno più adattate alle circostanze.

5. Si dimanda in 5. luogo se nell'attuale situazione della Francia, nella quale è impossibile, o difficilissimo contrarre i matrimonii avanti il proprio parroco legittimo, possa farsi uso della notissima dichiarazione del Concilio allegata dal Silvio (1).

R. Sull'oggetto presente basta riscontrare la lettera al Vescovo di Luçon riportata fra le indicate risposte date da Sua Santità, giacchè in detta lettera si danno le opportune providenze, circa la presente dimanda (2).

6. Si richiede in 6. luogo, se sia conveniente avere nella celebrazione del matrimonio la benedizione di un prete cattolico, quando è possibile averla, nella supposizione che sia impossibile, o non possa comodamente aversi la presenza del parroco cattolico.

R. È conveniente avere la benedizione di un Sacerdote chiunque questo sia nella celebrazione del matrimonio, nelle circostanze rilevate nella dimanda.

(1) Comment. in 3. part. S. Thom. quaest. 45. art. 5.
(2) Volumin. istius pag. 12.

7. Nella settima petizione, si dimanda se, nella supposizione che sia celebrato il matrimonio senza la benedizione del Sacerdote, quando non sia potuta avere, sia o no conveniente supplire in seguito la benedizione dello stesso matrimonio.

R. Questa istanza essendo stata fatta altre volte, la risposta data in tali occasioni, è stata la seguente, cioè *fideles hortandos esse ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit huiusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere.*

8. L'ottava petizione concerne i matrimoni celebrati in presenza dei Parrochi intrusi, nella circostanza che i Parrochi legittimi, o altri sacerdoti, *de Parochi seu Ordinarii licentia,* potranno assistere a tali matrimoni; si dimanda cioè se tali matrimoni siano validi o nulli.

R. Tali matrimoni sono nulli, nè può conciliarsi ai medesimi la validità in vista della notissima dichiarazione fatta da Benedetto XIV *super matrimoniis Hollandiae,* colla quale dichiarò validi i matrimoni contratti in Olanda fra una parte cattolica, e l'altra eretica, senza la presenza del parroco, ossia *non reservata forma Tridentini Concilii.* Giacchè lasciando da parte tutti gli altri riflessi, certo è che dall'apostolica Sede non è stata fatta per la Francia l'estensione della dichiarazione Benedettina, lo che sarebbe necessario per conciliare la validità ai matrimoni accennati nella memoria, ai matrimoni cioè che si celebrano *non servata forma praescripta a Tridentino Concilio,* qualora possa aversi la presenza del parroco cattolico, o di altro sacerdote, *de Parochi, seu Ordinarii licentia.* Sebbene peraltro tali matrimoni siano nulli, sarà opportunissimo, che nei casi particolari di tali matrimoni nullamente celebrati, si ricorra alla

Sede apostolica, esponendo tutte le circostanze del fatto, e in seguito dalla medesima si daranno le opportune providenze.

XXII April. MDCCXCV.

Latina versio

RESPONSUM

Memoriae *a Te* (1) *transmissae epistola data die 8 Martii 1795.*

Cum selecta Congregatio pro negociis ecclesiasticis Galliarum praefatam memoriam rite expenderit, constituit probante SSm̃o Domino Nostro, illi a quo proposita fuit, ea significare quae circa petitiones eiusdem memoriae constituta sunt.

1. Petitio prima respicit iuramentum libertatis et aequalitatis.

R. Quoad hanc petitionem, sufficiat novisse, nondum a Sanctitate Sua prolatum fuisse solemne definitivum iudicium de praedicto iuramento: ac tantummodo monitos fuisse tum laicos tum Ecclesiasticos, qui illud ediderunt, *ut consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat,* uti patet ex duodecimo inter Responsa, quae dedit Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis diversis quaestionibus ei-

(1) Hic adamussim titulus occurrit in diversis collectionibus Actorum Pii VI editis *à Paris* 1798, *à Rome* 1800; quin tamen innotescat, a quo *Memoria* prodierit et epistola scripta fuerit. Operae pretium fuisset hanc notitiam lectori suppeditare; neque valde difficile fuisset in hac Urbe. Id autem ferme impossibile evasit, postquam nonnulla Apostolicae Sedis archiva, eorum iussu et vi, qui modo huic sanctae civitati incubant et dominantur, a locis suis dimota in alia praepropere atque, ut in similibus necessario contingit, inordinate translata sunt.

dem Sanctitati Suae propositis, quorum exemplar heic adiicitur, ut normae sit.

2. In secunda petitur, ut regula determinetur servanda quoad Ecclesiasticos schismatis reos.

R. Regula ista iam tradita fuit a Sanctitate Sua Apostolicis Litteris in forma Brevis editis diebus 19 Martii ac 13 Iunii an. 1792, quorum exemplum adiicitur; quamobrem ad errorem vitandum necesse est ea, quae in praedictis Apostolicis Litteris tradita sunt integre servare. Si Deo placuerit (quod vehementer desideratur), afflictae Galliarum Ecclesiae pacem reddere, curabit Sanctitas Sua, illas Episcopis regulas dare, quas magis opportunas existimabit.

3. In tertio postulato quaeritur, utrum propter luctuosissimas circumstantias in Memoria expressas, sacerdotes probati ad confessiones sacramentales excipiendas et ad ministerium exercendum in una dioecesi, possint haec eadem peragere in alia.

R. Etsi memorati sacerdotes *de iure* nequeant in alia dioecesi poenitentiae sacramentum administrare, nihilominus Sanctitas Sua, perpensis supradictis circumstantiis vere deplorandis, vobis indulget, illud probare, ut sacerdos in una dioecesi approbatus possit sacramentales confessiones in alia excipere, dummodo neque iuratus sit, neque ulla quavis ratione schismati adhaereat.

4. Petitur quarto loco, ut Sanctitas Sua Vicarium constituat pro universa Gallia opportunis facultatibus praeditum, quae perdurabunt donec ipsi Episcopi suos Vicarios constituant: cum enim legitimi pastores desint, nulla cum ipsis haberi potest communicatio.

R. Omisso, num expediat an non, a Sanctitate Sua deputari Vicarium Apostolicum pro Gallia, necesse est, auctor *Memoriae* praecise significet, quae sint Ecclesiae legitimis pastoribus destitutae; ut re cognita San-

ctitas Sua possit ea providere, quae circumstantiis erunt magis convenientia; quemadmodum aliis Ecclesiis providit, quarum notitiam habuit.

5. Quaeritur quinto, utrum in hodierna Galliarum conditione, in qua impossibile aut difficillimum est matrimonia contrahere coram proprio legitimo parocho, uti liceat notissima declaratione Congregationis Concilii a Sylvio relata (1).

R. Sufficiet hac in re consulere epistolam ad Episcopum Lucionen. (2) relatam inter praefata responsa Sanctitatis Suae: in illa enim huic quaestioni opportune provisum est.

(1) Comment. in 3. part. Sum. S. Thom. quaest. XLV. art. V. quaer. IV. Edit. Antuerp. 1667. vol. 4. pag. 190. – Ibi quae sequuntur tradidit Sylvius – Si extent quidem parochus et Episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit; vel si eodem metu a dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma Concilii, adhibitis tamen ut dictum est duobus testibus. Hos duos casus Cardinalium Congregatio ita expressit Archiepiscopo Philippensi Domino Sasboldo 19 Ianuarii 1603, quae ab Octavio Episcopo Tricaricensi per Germaniam et Belgium Nuncio Apostolico fuerat consulta pro matrimoniis, quae in Hollandia, Zelandia, et Frisia contrahebantur. Prius autem anno 1600 die 30 Decembris eidem Octavio sic D. Bellarm. scripserat: « De matri- » moniis contractis ubi nulli iam sunt proprii pastores, iam olim » actum fuit cum SSño Domino Nostro, et cum Congregatione » Concilii Tridentini. Ac sententia communis fuit, illa esse rata, » nec ad ea pertinere decretum Concilii, cum in eiusmodi locis » observari non possit. Non video ergo, cur ea matrimonia non » debeant tolerari; cum satis constet Concilii decretum, quod iubet » matrimonium fieri coram parocho, non se extendere ad ea loca, » ubi nulli sunt parochi. » Ita refert Chapeaville Vicarius Leod. q. 15. de matrim. Ita etiam scripsit praefatus Octavius Archiepiscopo Mechlinensi 13 Februarii 1602, et hic Episcopo Iprensi 14 eiusdem mensis. Sive ergo dispensatione pontificia, sive iuris interpretatione, in oppidis et pagis illis, ubi nec Pastor nec vicem eius gerens haberi potest, valide contrahunt Christiani sine illo.

(2) Huius volumin. pag. 12.

6. Quaeritur sexto utrum conveniens sit in celebrandis matrimoniis benedictionem catholici sacerdotis si haberi possit accipere, quando impossibilis est aut commode haberi nequit praesentia parochi catholici.

R. Conveniens est sacerdotis benedictionem, quicumque iste sit, habere in circumstantiis in quaestione propositis.

7. Quaeritur septimo, utrum, celebrato matrimonio absque benedictione sacerdotis, quae obtineri nequiverit, conveniens sit an non supplere deinde benedictionem eiusdem matrimonii.

R. Quaestioni huic alias propositae, responsum est uti sequitur — *fideles hortandos esse, ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant; qui tamen illis declarabit huiusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere.* —

8. Octava petitio respicit matrimonia celebrata coram parochis intrusis, quando parochi legitimi aut alii sacerdotes *de parochi seu Ordinarii licentia* poterunt assistere hisce matrimoniis. Quaeritur utrum haec valida sint vel nulla.

R. Matrimonia ista nulla sunt; neque ad eorum valorem adstruendum prodest declaratio (1) Benedicti XIV *super matrimoniis Hollandiae,* qui valida edixit matrimonia ibidem celebrata personam catholicam inter et aliam haereticam absque praesentia parochi, seu *non servata forma Tridentini concilii.* Ut enim omittantur aliae considerationes, certum est, ab Apostolica Sede ad Gallias extensam non fuisse Benedictinam declarationem, quod necessarium esset ad statuendam validitatem matrimoniorum de quibus agi-

(1) Diei 4 Novembr. an. 1741. In Bullar. Bened. XIV. Tom. I. num. XXXIV.

tur in *Memoria,* iis scilicet quae celebrantur *non servata forma praescripta a Tridentino Concilio,* quando haberi potest praesentia parochi catholici, seu alius sacerdotis *de parochi seu Ordinarii licentia.* Quamvis vero huiusmodi matrimonia nulla sint, peropportunum tamen erit, ut in casibus peculiaribus talium matrimoniorum quae nulliter celebrata sunt, ad Sedem Apostolicam recurratur, expositis omnibus facti circumstantiis, quo facto dabit Eadem opportunas providentias.

XXII Aprilis MDCCXCV.

XXXIV.

DUBIUM

SUMMO PONTIFICI

AB ARCHIEPISCOPO VIENNENSI PROPOSITUM

Beatissime Pater.

Cum debita humilitate, nec minore fiducia, Archiepiscopus Viennensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, veritatis lucem pluribus Galliarum Ecclesiis necessariam requirit ex ore Eius.

Legibus regni Galliarum, ex pecunia non alienata praestationem annuam exigere vetitum; neque tamen ubique eadem hac de re *Parlamentorum* iurisprudentia, quae quidem plus minusve hisce regni legibus favebat: imo in quibusdam provinciis istam annuam praestationem stipulare permittebatur.

Usus autem exigendi in civitatibus quas *commercii* vocant, ita invaluerat, ut confessariis poenitentes suos ad meliorem frugem revocandi nulla, aut fere nulla probabilis spes affulgeret.

Neque etiam omittendum, non mediocres, postremis hisce temporibus, casuistas inter, de hac gravis-

sima quaestione, extitisse contentiones; aliis existimantibus usurarium esse quidquid supra sortem exigitur, nisi fuerit *lucrum cessans* aut *damnum emergens:* asserentibus aliis, nihil esse peccati, si v. g. fructum percipiam ex pecunia in mutuum data, quae accipienti copiosum in negociatione emolumentum affert: hancque mutui speciem vocant *mutuum commercii.* Hinc nonnulli contendunt praeter vulgatos aliquid supra sortem accipiendi et memoratos titulos *damni emergentis et lucri cessantis*, tertium quendam esse agnoscendum, scilicet *lucri advenientis.*

Ex illa porro opinionum varietate contigit ut plures confessarii, quamquam priori sententiae addicti, poenitentes circa eiusmodi usuras nequidem interrogare ausi fuerint; satius esse existimabant eos qualicumque bonae fidei committere, quam veris, quas non poterant portare modo, imbuere doctrinis.

Atque is erat controversiae status, quando prodiit Conventus nationalis decretum, quo ex mutuata pecunia fructum annuum et stipulandi et percipiendi unicuique asserta est potestas. Neque ullis voluit hanc suam legem circumscribi limitibus nationalis Conventus, cum nullam annuae praestationis taxam assignaverit.

« His praemissis, nonnulli sacerdotes Gallici in pa-
» triam mox reversuri postulant ut statuatur, quomodo
» in tribunali poenitentiae agendum sit cum iis qui
» ex pecunia non alienata fructum annuum percipiunt,
» neque exceptionem *lucri cessantis aut damni emer-*
» *gentis* possunt praetendere, sed exceptionem solum-
» modo *lucri advenientis,* sive ipsi poenitentes ea de
» re suas confessario anxietates aperiant, sive nihil
» prorsus dubii experiantur vel significent. »

Quam autem postulant agendi regulam nunc eo magis necessaria intelligitur, quod recentiorum casui-

starum opinioni vires maximas addere debuerit memoratum conventionis decretum cupiditati summopere favens.

Iam oraculum expectat Sedis Apostolicae, sacramque in ea totius orbis christiani bono praesidentis benedictionem flagitat,

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestrae,

Obsequentissimus et devotissimus
Filius ac Servus
Carolus FF. Archiepiscopus Viennensis.

RESPONSUM

Sanctissimus D. N. Pius divina providentia PP. VI. de consilio selectae Cardinalium Congregationis, quoad primam partem propositi dubii rescribendum esse mandavit, servandam esse Constitutionem Benedicti XIV, cuius initium *Vix pervenit* die 1 Novembris anni 1745 §. 3. num. 11.

Quoad secundam vero partem dubii propositi rescribendum esse mandavit, servandam esse epistolam encyclicam eiusdem Benedicti XIV ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos diei 26 Iunii anni 1749 §§. 19 et 20.

Ex Aedibus Quirinalibus die XII Augusti anni MDCCXCV.

F. X. Cardinalis de Zelada.

XXXV.

AL SIG. ABBATE DE LA PALME

Vicario Generale della Diocesi di Chambery

Illustrissimo Signore.

Avendo per ordine della Santità di Nostro Signore la particolar congregazione deputata sopra gli affari ecclesiastici di Francia presa in considerazione la supplica del Panisset vescovo intruso della Savoia, non meno che la lettera di V. S., la medesima congregazione, coll'approvazione di Nostro Signore, ha giudicato opportuno di render lei intesa di quanto siegue.

In primo luogo, di essere del tutto insussistente, che sua Santità per mezzo di un sacerdote incognito abbia fatto assolvere il Panisset, onde, se ella prima dubitava di tale assoluzione, sarà ora certa della falsità dell'asserto.

In secondo luogo, che le condizioni, le quali debbono adempirsi dagli intrusi, prima che possano ricevere il beneficio dell'assoluzione, sono state da sua Santità determinate col Breve del 13 giugno 1792, colle seguenti parole: *Et ne absolutiones huiusmodi* (parla sua Santità dell'assoluzione da darsi agli intrusi) *inconsulto concedantur, aut sint inter se difformes, inhaerentes Nos Concilio Nicaeno, et benigniori ecclesiae disciplinae, iubemus intrusorum absolvi neminem, nisi prius scripto eiuraverit civicum sacramentum, illosque errores qui civili constitutione cleri Gallicani continentur, et nisi declaraverit speciatim sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive acceptas, sive peractas; irritam esse collatam ab iis auctoritatem, iniustamque et nullam esse intrusionem una cum actibus inde secutis; et nisi iureiurando*

promiserit, se Apostolicae huic Sedi, legitimisque Episcopis obtemperaturum, et nisi denique parochiam eiusve partem reapse abdicaverit, eorumque eiuratio et abdicatio publica fuerit, perinde ac crimen quoque publicum fuit. Onde il Panisset dovrà indispensabilmente mettere in esecuzione queste condizioni, se vorrà il beneficio dell'assoluzione, seppure si eccettua la prima condizione richiesta da sua Santità per l'assoluzione degl'intrusi cioè che *scripto eiurent civicum iuramentum, illosque errores qui civili constitutione cleri Gallicani continentur,* giacchè il Panisset non ha prestato il giuramento civico, ma il giuramento della libertà ed eguaglianza, del quale giuramento per altro s'ignorano e i termini coi quali era concepito, e le restrizioni o limitazioni appostevi dal Panisset suddetto.

III. Sappia poi V. S., che, poste in esecuzione dal Panisset le indicate condizioni, conseguirà il beneficio dell'assoluzione; ma non si lusinghi per questo di essere autorizzato ad esercitare gli atti o uffici di vescovo; giacchè prima dell'assoluzione dovrà anzi dimettere la chiesa vescovile, nella quale è intruso, e dimetterla con quella pubblicità, che corrisponda alla pubblicità, colla quale è stato commesso il delitto d'intrusione: sappia ella inoltre, che il suddetto Panisset, non solo non potrà esercitare verun atto dell'ordine episcopale o della episcopale giurisdizione, ma neppure alcun atto di qualsivoglia ordine, dovendosi considerare come ridotto alla comunione laica fino a tanto che, in sequela di un lodevolissimo contegno di vita, che terrà, e contegno tale, per cui venga a riparare il gravissimo scandalo recato, meritar possa dal Capo visibile della chiesa di essere riabilitato ad esercitare gli atti degli ordini ricevuti, prima che si macchiasse col delitto d'intrusione.

In quarto luogo, dovrà ella star bene in attenzione per assicurarsi, se il Panisset pone in esecuzione le condizioni richieste da Sua Santità nel sopraddetto articolo del prelodato breve; e quando ella assicuri dell'adempimento delle surriferite condizioni, si daranno da Sua Santità ad un sacerdote approvato *ad excipiendas fidelium confessiones* le necessarie facoltà per la di lui assoluzione.

In quinto luogo ignorandosi in quali precisi termini concepito fosse il giuramento prestato dal Panisset sarà necessario, che ella ci ragguagli esattamente, in quali termini concepita fosse la formola del giuramento da esso prestato, affinchè, anche su di ciò, possano da Sua Santità desumersi le opportune provvidenze da darsi.

In sesto luogo, sarà necessario, che ella procuri di avere dal Panisset una dichiarazione, colla quale protesti di condannare tutto ciò, che vi è di cattivo nelle opere da esso pubblicate, e di uniformarsi in tutto e per tutto ai giudizii della Sede apostolica, e in ispecie alle costituzioni emanate contro gli errori di Baio, di Giansenio e di Quesnello.

Significatovi tutto ciò a V. S. per ordine del santo Padre, e conoscendo egli quanto sia grande la di lei saviezza; ed altronde sapendo la somma fiducia del Panisset nella di lei persona, ha la più sicura speranza che ella sarà per contribuire moltissimo al perfetto ravvedimento dell'intruso, insinuandogli con buona maniera quanto si è a lei comunicato nelle sopraddette ingiunzioni, e mostrandogli quanta sia la ragionevolezza di tutto ciò che da esso si esige, prima che ottener possa il beneficio dell'assoluzione. Resta pertanto a carico del sommo zelo di V. S. di rendere pienamente inteso il Panisset dei sopraddetti sentimenti e determinazioni del santo Padre, il quale, per giusti riguardi,

non scrive al medesimo, ma ripone tutta la sua fiducia e speranza della di lei religiosità e destrezza. Intanto pieno di stima mi confermo.

Roma 19 settembre 1795.

F. X. Card. de Zelada.

Latina versio

DOMINO ABBATI DE LA PALME

Vicario Generali dioecesis Camberiacen.

Illustrissime Domine.

Cum selecta Congregatio super Negociis Ecclesiasticis Galliarum, iussu SSm̃i Domini Nostri, expenderit petitionem Panisseti episcopi intrusi Sabaudiae, nec non epistolam Dominationis tuae, praedicta Congregatio, eodem SSm̃o D. N. probante, ea quae sequuntur Tibi significanda existimavit.

I. Falsum omnino esse, Sanctitatem Suam per incognitum sacerdotem, absolvendum mandasse Panissetum: quamobrem si antea dubitabas de huiusmodi absolutione, certa modo tibi erit falsitas huiusce assertionis.

II. Conditiones ab intrusis implendas, antequam absolutionis beneficio donari possint, a Sanctitate Sua praescriptas fuisse Apostolicis Litteris in forma Brevis diei 13 Iunii 1792 sequentibus verbis - *et ne absolutiones huiusmodi* (loquitur Sanctitas Sua de absolutionibus quae intrusis dandae erunt) *inconsulto concedantur, aut sint inter se difformes, inhaerentes Nos concilio Nicaeno et benigniori Ecclesiae disciplinae, iubemus intrusorum absolvi neminem, nisi prius scripto eiuraverit civicum sacramentum, illosque errores qui civili constitutione cleri Gallicani conti-*

nentur, et nisi declaraverit speciatim sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive acceptas sive peractas; irritam esse collatam ab iis auctoritatem, iniustamque et nullam esse intrusionem una cum actibus inde sequutis; et nisi iureiurando promiserit, se Apostolicae huic Sedi legitimisque Episcopis obtemperaturum; et nisi denique parochiam eiusve partem reapse abdicaverit, eorumque eiuratio et abdicatio publica fuerit, perinde ac crimen quoque publicum fuit. Quapropter si Panissetus absolutionis beneficium consequi velit, necesse omnino est hasce conditiones exequatur, si tamen prima excipiatur praescripta a Sanctitate Sua pro absolutione intrusorum, ut scilicet *scripto eiurent civicum iuramentum, illosque errores qui civili constitutione cleri Gallicani continentur:* quandoquidem Panissetus non civicum iuramentum praestitit, sed libertatis et aequalitatis iusiurandum; de quo tamen ignoratur et quibus verbis conceptum fuerit, et quas restrictiones aut limitationes ipse Panissetus eidem adiecerit.

III. Noverit autem Dominatio Tua, hisce impletis conditionibus beneficium absolutionis consequuturum fore Panissetum: qui tamen minime sibi blandiatur idcirco licere sibi episcopales actus vel officia exercere. Necesse enim est ut antequam absolvatur, dimittat episcopalem Ecclesiam in quam intrusus fuit; quae dimissio tam publica debet esse ac notoria, quam fuit perpetratum crimen intrusionis. Noverit insuper non modo interdictum fore eidem Panisseto exercitium cuiusque actus episcopalis ordinis vel iurisdictionis, sed etiam cuiusque Ordinis actum; habendus enim est uti redactus ad laicam communionem, donec post maxime laudabilem vitae rationem ab ipso ineundam, quae gravissimum scandalum ab eo illatum resarcire valeat, mereri possit ut a supremo Ecclesiae Pastore ad exer-

citium Ordinum redintegretur, quos recepit antequam intrusionis crimine se foedaret.

IV. Advigilabis attente, quo tuto cognoscere possis, num Panissetus exequatur conditiones praescriptas a Sanctitate Sua in praedicto articulo memoratarum Apostolicarum Litterarum: et cum tu pro certo affirmabis, conditionibus praefatis satisfactum fuisse, tum facultates ad ipsum absolvendum necessarias dabit Sanctitas Sua sacerdoti *ad excipiendas fidelium confessiones* rite probato.

V. Cum ignoretur, quibusnam praecise verbis expressum fuerit iuramentum a Panisseto editum, necesse est a Te nobis rite significari ipsam adamussim formulam eiusdem iuramenti; ut hinc etiam possit Sanctitas Sua cognoscere, quae opportune ad rem mandanda erunt.

VI. Cures oportet, ut a Panisseto declarationem obtineas, qua ipse protestetur damnare se quidquid mali est in operibus ab ipso editis, et consentire in omnibus et per omnia iudiciis Apostolicae Sedis, et praesertim constitutionibus editis contra errores Baii, Iansenii et Quesnelli.

Haec Tibi significata sunt de mandato Sanctissimi Domini Nostri, qui perspectam habens prudentiam Tuam, et noscens aliunde summam fiduciam quam in Te habet Panissetus, maximam spem habet, te ad perfectam intrusi conversionem valde profuturum, ea in animum illius opportune inducendo quae in supra relatis praescriptionibus tibi significata sunt, eidemque demonstrando, quantum rectae rationi conformia sint quae ab ipso exquirantur, antequam absolutionis beneficium obtinere possit.

Tibi itaque tuoque zelo illud incumbit, ut Panissetum edoceas quid de ipso sentiat quidque praeceperit Sanctitas Sua, qui iustis permotus causis eidem non

respondet, sed omnem animi sui fiduciam et spem in religione et prudentia tua collocat.

Romae XIX Septembris MDCCXCV.

F. X. Card. de Zelada.

XXXVI.

NOVA PROROGATIO

FACULTATUM CONCESSARUM

A SS. D. N.

PIO PAPA VI.

Archiepiscopis, Episcopis, ac Dioecesium Administratoribus Regni Galliarum, nec non Avenionis, et Comitatus Venaisini, Sabaudiae, aliorumque locorum, quae persecutioni sunt obnoxia.

Iisdem perseverantibus malis, eadem sunt adhibenda remedia. Cum igitur in regno Galliarum, Avenione, in comitatu Venaisino, in Sabaudia, aliisque etiam locis, ubi fideles legitimis Pastoribus destituuntur, nec possunt absque gravi discrimine et incommodo adire hanc apostolicam Sedem, perdurent adhuc illae infelicissimae circumstantiae, ob quas Sanctissimus Dominus Noster praefatis archiepiscopis, episcopis, ac dioecesium administratoribus varias, easque amplissimas et extraordinarias facultates concessit, quae in subsequentibus Indultis dierum 10 Decembris 1792, 16 Decembris 1793 et 15 Decembris 1794 prorogatae fuerunt; eadem Sanctitas Sua, cui spiritualis fidelium Pastorali eius curae concreditorum utilitas summopere cordi est, cum spiritualibus eorum indigentiis, eo meliori modo quo fieri potest, consultum esse velit, novo hoc Indulto concedit praefatis archiepiscopis,

episcopis, et dioecesium administratoribus prorogationem omnium singularumque extraordinariarum facultatum, quae in praecedentibus Indultis comprehenduntur; idque concedit iisdem legibus et conditionibus, quae prioribus Indultis fuerunt appositae, quaeque declaratae fuerunt in prorogatione diei 10 Decembris 1792.

Quoniam vero praeteritis temporibus factum quandoque est, ut aliquis episcopus, aut vacantis dioecesis administrator ob liberum tabellariorum cursum praepeditum, Litteras facultatum prorogationem continentes recipere tempore opportuno non potuerit, eamque ob rem in summa rerum angustia et difficultate versatus fuerit; hinc eadem Sanctitas Sua, ut simili in posterum incommodo occurrat, omnium, singularumque extraordinariarum facultatum nuper commemoratarum prorogationem concedit non ad aliquod definitum tempus, sed quoadusque ab eadem Sanctitate Sua revocentur.

Datum ex Aedibus Vaticanis die X Decembris MDCCXCV.

F. X. Card. de Zelada.

XXXVII.

VENERABILI FRATRI

ALEXANDRO ANGELICO

Archiepiscopo Rhemensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Reddidit Nobis Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Albiensis, litteras Fraternitatis tuae die 8 Decembris datas, quas et perlibenter accepimus, et

non sine plurima animi iucunditate perlegimus; plenae enim sunt et in episcopale ministerium studii, et in Nos, ac Apostolicam hanc Sedem pietatis ac observantiae tuae. Pergratum Nobis fuit tui Pastoralis animi argumentum, Instructio nempe, cui titulus: *Avis concernant l'exercice du S. Ministère dans les circonstances,* in qua a Te, una cum Episcopis tuae Rhemensis Provinciae concinnata, regulas exponis quasdam, pro sacris exercendis curis, ad hodiernum Gallicarum rerum statum accommodatas, quamque pro debito in B. Petri Cathedram obsequio ad Nos transmisisti. Eas regulas cum accurate pro munere Nostro perpenderimus, facere profecto non possumus, quin summopere collaudemus cum tuam, tum tuorum Fratrum vere Episcopalem sollicitudinem, atque idcirco etiam, quod huic Sanctae Sedi easdem reverenter subieceris, quas eo magis ad salutarem laudabilemque agendi uniformitatem in tua illustri Provincia, schismate adhuc perseverante, stabiliendam conferre posse putamus, quo magis consentaneae sunt praescriptionibus, quas edidimus Nostris in forma Brevis litteris, eiusdem Gallici schismatis causa, nec non et Responsis, quae dedimus, de consilio selectae Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis, ad diversas Nobis propositas quaestiones. Interim vero, quod Te scire volumus, Nos operam nostram conferre non intermittimus in generali elucubranda instructione ad Galliae Archiepiscopos et Episcopos opportuno tempore transmittenda, quae, quoad fieri potest, peridonea sit, et gravissimis reparandis damnis a luctuosissimo schismate profectis, et restituendo in pristinum religionis in illo regno exercitio, ut haec eo facilius ac promptius ad fidelium utilitatem reflorescat, quo magis Pastores in una eademque inter se congruant sentiendi agendique ratione. Quod autem spectat ad instructio-

nem, quam hac ipsa occasione transmittis, in qua de actu subiectionis reipublicae legibus sermo est, hic pariter, ut in ceteris, animum tuum Apostolicae huic Sedi auscultare paratissimum agnoscimus et commendamus. At, ut vides, de re agitur maximi momenti, vel ea in se ipsa, vel in iis, quae inde consequi facile poterunt, consideretur, variaeque proinde existunt inter ipsos etiam Galliae ecclesiasticos, ac a se invicem dissentientes opiniones. Quapropter Nos officii Nostri esse putavimus eam rem universam ad accuratissimum examen Nostrum revocare, et peculiarem Cardinalium Congregationem in consilium de more adhibere, ut certum aliquid in tam gravi re decernere possimus; quod cum peractum a Nobis fuerit, statim eius Decreti Nostri participem Te faciemus. Demum a Nobis postulas facultatum Galliae Archiepiscopis, Episcopis, ac Dioecesium administratoribus iamdiu concessarum prorogationem. Nullam interponimus moram, Venerabilis Frater, quin hac etiam opportunitate studiosissimum Nostrum in Te animum confirmemus. Prorogatas igitur, ut cupis, eas facultates agnosces ex Decreto nostro recenter typis edito, cuius plura ad Te exempla hisce Nostris inclusa mittimus, a Te cum tuae provinciae Episcopis communicanda. Perge interim, Venerabilis Frater, ut coepisti, bonum certare certamen, viriliter age, et confortare in Domino. Ceteros tuae animi fortitudinis, tuae in Deum fidei, et christianae patientiae, doctrinae, charitatisque exemplis ad perseverandum confirma; Nosque existima omni in Te paterno inflammatos studio Tibi cupere, Tibi a D. O. M. precari, ut multiplicet super Te, et super fideles tuae Dioecesis populos misericordiam suam, vestrosque luctus, labores ac aerumnas omnes in gaudium tandem, suique Spiritus consolationem convertat. In cuius benevolentiae Nostrae, Tuique existimationis

pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, universoque tuo gregi, ad caelestium munerum incrementum, ex animo ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII Ianuarii MDCCXCVI, Pontificatus nostri Anno XXI.

Benedictus Stay.

XXXVIII.

DILECTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE ROHAN

Episcopo Argentoratensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Mirifice confirmasti Nobis, dilecte Fili Noster, iudicium, quod de pastorali virtute tua his praesertim asperrimis temporibus percepimus, cum in postremis litteris a te die vicesimaquarta Decembris datis accepissemus exemplum epistolae tuae ad clerum saecularem et regularem trans Rhenum mittendae, iamque ab anno 1793 a te compositae, nunc ipsum ad Nos transmissum eo consilio, ut Apostolicae Cathedrae iudicio subiecta ad eiusdem sensus conformari plane posset. Hunc animum tuum singulari commendatione prosequimur, comprobamusque praeterea adhibitam a zelo tuo cautionem, qua usus es, ut nonnisi opportuno tempore post sedatam nempe persecutionem ad Oves illas tuas mittatur, quo efficacius exortis ab hodierno schi-

smate malis afferatur remedium. Hoc certe tempus (quod utinam quamprimam Deo miserante adveniat) Nos etiam maxime expectamus, ut Nostra itidem Apostolica voce per universam Galliam diffusa, omnem illam nationem a perniciosa discessione revocare contendat, ac pristinum sanctissimae religionis exercitium ubique in adeo convulsas impietate provincias restituere. Omnino igitur convenit, prout existimasti, dilecte Fili Noster, ut tua reservetur epistola ad tempus, quo sedata fuerit persecutio, ac epistola Nostra praecesserit, ut fructuosior esse possit tua pastoralis S. Sedis decretis conformata Instructio.

Interea cum eam Instructionem tuam perlegissemus, nonnulla reperimus, quae prudentiae tuae considerandа proponamus; utpote quae enodari distinctius explicarique accuratius postulent. Ut pagina septima « Hostiae, inquis, a Schismaticis consecratae in com- » munione Fidelium non distribuantur; sed sacerdos » illas in vase mundo atque in aliquo loco sacro, non » tamen tabernaculo, deponat, et si ob suspicionem » Celebrans post communionem non sumeret, aqua di- » lutas et corruptas in sacrarium proiiciat. » At ut tua haec praescriptio plane, prout debet, consentiat cum rubricis in missali expositis, oportet, ut hisce verbis declaretur: *Hostiae a schismatico presbytero consecratae asservandae erunt, donec species sacramentales fuerint omnino corruptae; atque post omnimodam eorum corruptionem in sacrarium seu piscinam iniiciantur.*

Pagina vero nona iustam veramque sane profers in haec verba sententiam: « Clandestinum et pariter in- » validandum est matrimonium celebratum coram in- » truso, aut alio ab hoc deputato. » Verum cum contingere possit aliquo in loco, ut deficiente parocho legitimo, vel alio sacerdote de parochi seu Ordinarii

licentia, celebrari non potuerit matrimonium iuxta formam a Tridentina Synodo praescriptam, nihil eo in casu obstat validitati matrimonii, quod fuerit illud coram Intruso, dummodo coram duobus testibus celebratum.

Pagina item decima, postquam stabilitum est, ad formam Brevis Nostri die 13 Aprilis 1791 dati, impium et haereticum esse iusiurandum Civicum, ac idcirco graviter illos peccare qui illud praestant scientes, aut ex ignorantia graviter culpabili non scientes, Constitutionem doctrinae Fidei et Ecclesiae iuribus adversari etc. subiicis: « Nullius autem vel non gra- » vis delicti rei sunt.... quos excusant ignorantia et » bona fides, dum sibi forte persuadent a se non exigi » iuramentum, nisi quoad res mere civiles, aut pro- » pter grave damnum emergens sive lucrum cessans, » sive licitum esse simulare, vel ob similes causas se » posse sine peccato interna restrictione uti, absque » ulla tamen adiecta iuramento restrictione. »

In hoc verborum contextu plura animadvertenda sunt, quae multo expressiorem requirunt explicationem. Ac primo cum agatur de iureiurando, quo quis obstringitur ad observandam Constitutionem in multis suis decretis haereticam, ut eam esse Apostolicum Breve declarat, ac in aliquibus schismaticam etc. constitutionem videlicet non alio consilio excogitatam ac vulgatam, quam ut catholica prorsus aboleatur religio (quod etiam ex ipsa illius lectione manifestum est), minime quidem quisquam potest vel ex ignorantia vel etiam ex bona fide (nisi in aliquo peculiari casu) persuaderi, a se non exigi iusiurandum, nisi ob res civiles, atque ideo illum, qui eodem obstringitur, a culpa excusari; multoque minus ob grave damnum emergens aut lucrum cessans posse aliquem in animum serio inducere licitam sibi esse *simulatio-*

nem; quin omnino cuique vel ex ipsis patet naturalis honestatis principiis vetitum esse huiusmodi simulationis speciem praecipue in tam magni momenti re, in qua nimirum et veritas evertitur, et sanctissima nostra proditur religio, et perniciosissima animarum offensio seu scandalum infertur. Ipsum demum grave damnum emergens, aut lucrum cessans, aut alia similis causa, seu potius praetextus, efficere numquam poterit, ut quis sibi persuadeat sine peccato interna restrictione uti se posse absque ulla adiecta iuriiurando restrictione: quoniam tali interna restrictione et decipitur qui sacramentum exigit, et dedecus religioni irrogatur, et inducitur exemplum in ceteros Fideles ad pure simpliciterque, ut dicitur, contra intimam animi sententiam iurandum.

Paulo post eadem pagina decima haec subsequuntur verba: « Ex verbis et factis liquet quid dominatum in Gallia exercentes per libertatem suam intelligant et aequalitatem; ideo in illas iurare non minus iniquum est, neque minus impium. » Ex quibus videris huiusmodi praeiudicio tuo interpretari velle iudicium Nostrum, cum Nos nihil hactenus decreverimus de iureiurando illo Gallico circa libertatem et aequalitatem; sed tantum monuerimus, qui illud praestiterint, ut consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat.

In fine paginae decimae et in pagina undecima, seu in toto paragrapho tertio agitur de emptione et venditione bonorum ecclesiasticorum: ubi postquam stabilitum est non potuisse Comitia Gallica transferre bonorum ecclesiasticorum dominium in sacrilegos emptores, vetitamque esse sub poena anathematis a Tridentino Concilio sancita dictam venditionem, aliquae praescribuntur regulae, quas hic tuae pastoralis epistolae verbis exponimus: « Graviter ergo contra iu-

» stitiam delinquunt, similia bona vendentes et emen-
» tes, ac ad eorum venditionem saltem directe et po-
» sitive cooperantes, atque scientes talem venditionem
» sub poena anathematis prohibitam esse etiam ipso
» facto excommunicationem Sedi Apostolicae reserva-
» tam incurrunt. Non excusamus eos, qui talia bona
» emerunt cum voluntate haec Ecclesiae restituendi,
» si forte casus contigerit; vel qui illa emerunt sub
» praetextu, ut se et familiam suam honeste va-
» leant sustentare. An enim ob similem praetextum
» licet bona aliena diripere? Et quis ignorat bona
» aliena, praesertim illa quae ex se et ex donantium
» intentione iam in pauperum et ministrorum Eccle-
» siae usus et necessitates debebant converti, si legi-
» timo eorundem Domino restitui non possunt, impen-
» denda esse ad usus pios, vel pauperibus eroganda?
» Videntur tamen excusari aliquo modo posse, qui
» ecclesiastica bona iam possidentes, illa non emerunt
» (quod non consentiente Ecclesia nullo in casu fieri
» potest), sed tantum solverunt quod absolute erat ne-
» cessarium, ut ea possent instar depositi retinere.
» Non paucos etiam potuit excusare eorum bona fides:
» tales forte sunt, qui sibi persuadebant ad evitanda
» maiora mala sibi licuisse ad bonorum Ecclesiae ven-
» ditionem concurrere, vel qui se non peccare existi-
» mabant, si eadem bona emerent cum animo resti-
» tuendi, aut ut se et suos honeste possent sustentare.
» Possidentes bona modo tam inique vendita ad resti-
» tutionem tenentur, quacumque etiam arte et quo-
» cumque quaesito colore fuerint acquisita, et in ho-
» rum defectum primi emptores atque ad venditionem
» positive cooperantes in rigore tenerentur quoque
» deductis deducendis restituere perceptos bonorum
» fructus et damnum quod Ecclesiae in his suis bonis
» illatum est resarcire. Quantum ad horum fructuum

» restitutionem, de clero nostrae dioecesis merito con-
» fidimus, ipsum cum charitate et benignitate acturum
» ad conciliandos sibi magis magisque fidelium animos:
» de cetero procul dubio feretur lex, quae erit com-
» munis omnium regula, cuique se conformare tene-
» bitur confessarius. » Verum ut clarius, quantum fieri potest, certiusque procedatur ad iustas statuendas regulas de iis, qui luctuosissimi schismatis tempore ecclesiastica sibi compararunt bona, opus esset, ut accuratissime distinguantur ii, qui mala fide (et horum maximus est numerus) bona Ecclesiae acquisierunt, ab aliis qui bona fide in eorum possessionem ingressi sunt (qui sunt certo multo pauciores): ac tum aequissimis communiterque receptis inhaerendo sententiis Theologorum circa possessores bonae malaeque fidei facile poterit, quid sit imponendum oneris, et quo discrimine utrisque tam bonae quam malae fidei possessoribus circa restitutionem cum bonorum tum fructuum ex iis perceptorum: de quibus cum Nos ipsi post multam considerationem consultationemque decernemus, riteque per Nostram suo tempore emittendam Instructionem declarabimus, ipse poteris in tua item Instructione ad tuos dioecesanos vulganda, omnia ad eandem doctrinae normam redigere, ac Nobiscum consentientes sine ulla dubitatione regulas praescribere.

Haec sunt, dilecte Fili Noster, quae ad te interim rescribenda duximus, unaque tecum Deum optimum maximum oramus ac obtestamur, ut post communes tamque diuturnas, quas ex Gallicarum rerum perturbationibus percipimus animo curas, angustias, dolores, tandem Illius benignitate respirare, consolari ac ob reductas in pristinum sacras res omnes laetari, Eique summas immortalesque gratias agere debeamus. Tibique que ex intimo paterno corde depromptam, dilecte Fili

Noster, universoque tuae Fidei commisso populo, Apostolicam benedictionem auspicem peramanter impertimur.

Datum Romae die XIII Aprilis MDCCXVI, Pontificatus Nostri anno XXII.

XXXIX.

DILECTO FILIO

FRANCISCO THERESE PANISSET

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Plurimum sane paterno dolori Nostro solatium cepimus, cum perlegissemus retractationem tuam a te subscriptam, atque ad Nos transmissam una cum litteris die 22 Februarii proxime praeteriti datis, in quibus clara praebes indicia, te ab erroris semita ad matris Ecclesiae gremium rediisse, omnesque accurate conditiones explesse, quae in Nostris praescribuntur Brevibus, atque illo praecipue diei 13 Iunii 1792, in quo expresse mandantur ea, quae intrusi in viam salutis remigantes exsequi debent, antequam ad percipiendam absolutionis gratiam admittantur; praetereaque animum hunc tuum reipsa Nobis confirmasti, dimissa nempe cura S. Petri de Albigny, in qua legitime fueras institutus. Maxime in hoc Nos tuum approbamus consilium, quod publice constare, lateque per typos diffundi volueris eam retractationem (1), cum hunc in

(1) Retractactionem hanc, qua Panissetus meruit a Summo Pontifice nedum absolutionis beneficium ab excommunicatione, verum et solamen Apostolicae huius epistolae, placuit in Appendicem huius

modum par erat gravissima reparari scandala, quae illata in publicum erant ex tot tamque enormibus delictis, quorum te ipse in eo folio accusare ad maiorem poenitentiae nunc tuae declarationem non dubitasti; ut hoc scilicet exemplo alios aut iniquo obstrictos iureiurando, aut intrusos, aut quomodolibet fautores asseclasque hodierni schismatis ad similes eiurandos errores, ad Ecclesias in quarum se curam intruserint, abdicandas, ac tandem ad revertendum in fidelium coetum, unde perfide abscesserant, excitares. Cum haec a te sincere atque ex animo non solum declarata, sed etiam peracta videamus, libenter ad tuas accedimus sublevandas necessitates, proptereaque sacerdoti, ad excipiendas fidelium confessiones approbato, a teque ipso eligendo, facultates necessarias ac opportunas concedimus, te ab excommunicatione ac gravibus culpis, quarum te ipse reum agnoscis atque accusas, absolvendi. Nihilo tamen minus postquam eas absolutiones obtinueris, adhuc suspensus remanere debes ab exercitio cuiuscumque Ordinis, nec non et irregularis, teque nonnisi in communione laica tantummodo constitutum esse censere.

Nobis vero cum perspexerimus quam constanter te geras in tuo sentiendi vivendique proposito, postmodum statuendum erit, conveniatne novam indulgere tibi gratiam exercendi aliquem Ordinem legitime antea a te susceptum. Atque hic, dilecte fili, praetermittere Nos paterna charitas non sinit, ut te etiam atque etiam ex intimo corde hortemur, in eo in quem regressus es fidelis vitae cursu sedulo ac perseveranter insistere, neque illis umquam aures praebere, qui te summo co-

voluminis referre: ut si quandoque contigerit, quemquam eius defectionem imitari, habeat infelix iste exemplum *verae et sincerae* retractationis, quod omni humano respectu posthabito imitari neque timeat, neque erubescat.

nantur studio revocare ac retrahere ad perditionis viam, prout certe et hactenus contendisse, et etiamnum intrusos Galliae episcopos contendere non ignoramus. Quod superest, etsi valde commendemus desiderium tuum ad Nos Romam veniendi, ac ad haec sanctorum Apostolorum limina; tamen te omnino ab hoc iucundo itinere dehortamur, et tuae tam affectae valetudinis causa, et vitae discriminum, quae evitare hoc difficillimo ac periculosissimo, ut optime nosti, tempore non poteris. Deum optimum maximum precamur, ut sua te gratia prout iam coepit, in Iesu Christo per Spiritum sanctum prosequatur, foveat et custodiat. Tibique apostolicam benedictionem, per quam illius in te misericordiae fructus semper uberiores exsistant, ex animo ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I Iunii MDCCXCVI, Pontificatus Nostri anno XXII.

Benedictus Stay.

XL.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTO

Episcopo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Crebro renovata a te, Ven. Frater, tuae in Nos observantiae singularisque in sanctam hanc Sedem studii documenta, non possunt Nobis non esse iucundis-

sima. Ea praecipue confirmasti litteris tuis die vicesima prima Aprilis datis, in quibus defers ad Nos gravem unius e tua dioecesi Ecclesiastici casum, in quo te, ut in ceteris similibus, nonnisi ex Nostra praescriptione iudicioque acturum profiteris. Is autem casus est huiusmodi.

Aloisius Linder antea in tuo Seminario alumnus, deinceps nonnullorum fautorum asseclarumque civilis in Gallia constitutionis cleri artificio illectus, se in Argentinense Seminarium transtulit, ibique a Brender intruso in eam Ecclesiam Episcopo ad tres fuit sacros ordines promotus, atque ex eiusdem intrusi voluntate animarum curam in variis Spirensis dioecesis locis exercuit. Porro reversus in cor, fugit e Gallia, seque in pristinum Spirense Seminarium recipiens iam enixissime, ut scribis, cupit conciliari Ecclesiae et in clero manere. Idem nunc, ut ait, dubitat de intrusi Brendel potestate, a quo nempe sacros suscepit ordines, suaeque dubitationis causam repetit a praesumpto intentionis defectu intrusi Parisiensis Archiepiscopi Gobel, antea Basileensis Suffraganei, a quo ipse Brendel consecratus in Episcopum erat, cum iam vulgatum notumque sit, eum ipsum Gobel abiurasse Parisiis et episcopatum suum et catholicam religionem. Idcirco Linderus timet, ne in peragenda Brendeli consecratione tam nefarius ac impius Gobelius necessaria ad validitatem actus intentione caruerit. Ad illius timorem tua etiam accedit dubitatio, Ven. Frater, quam hisce exponis verbis: « Itaque non videor mihi in vanum dubitare, num is (id est Gobelius) quando Episcopos ordinaret, ea observaverit, quae observanda necessario veniunt, et an valide ordinati sint Episcopi ab eo consecrati. »

Duo iam sunt quae Nobis consideranda proponis. Primum gravissima Linderi delicta, quod nempe ad

sacros ordines ascenderit per ordinationem intrusi Episcopi, ipsoque conferente animarum curam variis in locis tuae Spirensis dioecesis exercuerit. Agitur hic de absolutione duorum huiusmodi delictorum. Eam ob causam Nos libenter concedimus alicui sacerdoti ad excipiendas fidelium confessiones approbato, ab eodemque Linder eligendo, facultatem absolvendi reum hunc ab hisce culpis suis; at non antequam ipse satisfecerit conditionibus in Nostro praescriptis Brevi die 13 Iunii 1792, firma tamen remanente suspensione et irregularitate ab ipso contracta, eo quod censura suspensionis innodatus ministraverit.

Alterum vero est, valida ne an irrita sit Linderi ordinatio. Etsi etiam sibi ipsi levi niti fundamento videatur is Linderi metus ob intentionis defectum in Gobel, cum intrusum Brender in Episcopum consecraret, tamen multo certe gravior est tua illa ratio de validitate dubitandi, an intrusus Gobel in variis a se peractis episcoporum consecrationibus, ea observaverit omnia, quae ad validitatem necessario requiruntur. Ob tuam hanc dubitandi rationem nequit hactenus declarari, valida ne fuerit an contra Linderi ordinatio: cum propterea necesse sit habeantur certiores de ipso facto notitiae, ex quibus argui possit revera in Brendeli consecratione Gobelum omisisse aliquid vel in materia vel in forma, quod ad rei substantiam pertineret, vel saltem grave de hoc ipso constare dubium, unde nonnisi sub conditione ad novam Linderi ordinationem sit deveniendum. Quapropter illam a te suscipi curam necesse nunc est, ut inquiras in factum ipsum, quod Nos ipsi per Nos pariter curandum suscipimus ex legitimis Galliae Episcopis exquisituri, si quid in hac re certius deduci possit, Nosque in huiusmodi casibus pronunciare, omni e medio sublata dubitatione, valeamus, quid iudicandum agendumque sit. Interea tem-

poris, Ven. Frater, ipse Linder suspensus ab ordinum exercitio remanere debet.

Quod superest, Nostram in te, Ven. Frater, pro tuis meritis amplificari paternam benevolentiam existimationemque profitemur, ac in tam amplius animi Nostri pignus Apostolicam benedictionem tibi universisque tuae fidei concreditis ovibus peramanter impertimur.

Datum Romae die IV Iunii MDCCXCVI, Pontificatus Nostri anno XXII.

XLI.

OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS CATHOLICIS, COMMUNIONEM CUM SEDE APOSTOLICA HABENTIBUS IN GALLIIS COMMORANTIBUS.

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pastoralis sollicitudo, filii dilectissimi, quae a Domino nostro Iesu Christo, ex abundantia misericordiae suae, humilitati nostrae commissa est, admonet ut omnibus christifidelibus, praesertim vero iis qui maioribus tentationibus appetuntur, ne a sapientia carnali misere seducantur, adesse cupiamus. Nobis enim, aeque ac prophetae Isaiae, dictum est: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum.* Quocirca Nobis deesse videremur, nisi quamcumque occasionem vos hortandi ad pacem, ac debitam constitutis potestatibus suadendi subiectionem libenter arriperemus. Siquidem, cum dogma catholicum sit, divinae Sapientiae opus esse quod principatus sint, ne omnia casu ac temere ferantur, po-

pulis hinc inde circumactis; unde Paulus non de singulis principibus, sed de re ipsa loquens, dicit quod *nulla est potestas nisi a Deo,* quodque *qui ei resistit, Dei ordinationi resistit:* nolite errare, filii carissimi, ac sub pietatis colore novitatum auctoribus ansam praebere catholicam religionem vituperandi. In vos quippe grande scelus susciperetis, quod non solum a potestatibus saecularibus ulcisceretur, sed etiam, quod maximum est, Deus non leves sed maximas poenas repeteret, *qui enim potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Hortamur itaque vos, filii dilectissimi, per Iesum Christum Dominum nostrum, ut omni studio omnique alacritate et contentione imperantibus obsequi studeatis. Sic enim a vobis Deo debitum praestabitur obsequium, ac illi orthodoxam religionem ad legum civilium eversionem minime constitutam esse magis magisque intelligentes, ad eam fovendam tuendamque per implementum divinorum praeceptorum et cultum ecclesiasticae disciplinae allicientur. Denique vos monitos volumus, ut quicumque oppositam doctrinam evulgaverit, tamquam ab Apostolica hac Sede traditam, nullam fidem habeatis: vobisque Apostolicam paternamque Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V Iulii MDCCXCVI, Pontificatus Nostri anno XXII.

R. Card. Braschius de Honestis.

XLII.
RESPONSA

Ad quaedam dubia Sedi Apostolicae proposita.

Ad examen revocatis, matureque expensis a selecta Cardinalium Congregatione, super negotiis ecclesiasticis Regni Galliarum deputata, dubiis quae mox subiiciuntur, sententia eiusdem Congregationis probata a Sanctiss. Dom. Nostro Papa Pio VI fuit, respondendum esse ut sequitur.

Dubiun primum. Quaeritur utrum sacerdotes, sive ante Brevis Apostolici *Charitas* promulgationem, sive post eam *electi* iuxta formam schismaticae Constitutionis, ad Ecclesias parochiales *vacuas,* et instituti ab Episcopo Dioecesano, qui ipse civicum praestiterat iuramentum, evaserint veri Parochi, obtineantque *Ordinariam iurisdictionem* quam valide exerceant, praesertim quando a plebe vulgo existimantur probi Sacrorum Ministri.

Responsum. Sacerdotes sive ante Brevis Apostolici *Charitas* promulgationem, sive post eam electos, iuxta formam schismaticae Constitutionis, ad Ecclesias parochiales vacuas, et institutos ab Episcopo Dioecesano, qui ipse civicum praestiterat iuramentum, non evasisse veros Parochos, nec habere Ordinariam iurisdictionem quam valide exerceant. Ceterum, numquam aut fere numquam in praxi contingere posse, ut a plebe tamquam probi Sacrorum Ministri habeantur.

Dubium secundum. Num sacerdotes praefato modo electi ad Ecclesias *plenas,* et ab eodem Episcopo instituti, evadant saltem illarum Ecclesiarum administratores, legitimo absente Parocho, et ad id obtinuerint iurisdictionem delegatam.

Responsum. Negative.

Dubium tertium. Utrum tales sacerdotes, dictis modis et electi et instituti ad Ecclesias tum vacuas, tum etiam plenas, hoc ipso excidant a delegata iurisdictione quam obtinebant in iisdem Ecclesiis, seu Vicariorum munere fungentes, seu tamquam simpliciter approbati ad excipiendas fidelium confessiones.

Responsum. Praefatos sacerdotes excidisse a delegata iurisdictione quam obtinebant in iisdem Ecclesiis, seu Vicariorum munere fungentes, seu tamquam simpliciter approbati ad excipiendas fidelium confessiones.

Dubium quartum. Si idem Episcopus alicui ex praefatis sacerdotibus dixerit: « Quidquid sit de tua ele-
» ctione ac institutione, confero tibi omnes falcultates
» requisitas ad absolvendos peccatores, ad celebranda
» matrimonia, etc. tibi committens omnia iura Paro-
» chi. » Quaeres qualem sortita fuerit effectum huiusmodi commissio.

Responsum. Nullum prorsus effectum sortitam fuisse huiusmodi commissionem.

Dubium quintum. Quibusnam poenis canonicis subiiciantur Parochi, modis specialis electi atque instituti.

Responsum. Parochos qui pure et simpliciter iuramentum civicum praestiterunt, subiici suspensioni ab exercitio cuiuscumque ordinis, latae a SS. D. Nostro in Apostolicis Litteris diei 13 Aprilis anni 1791: item subiici censuris omnibus a iure canonico latis contra adhaerentes, aut fautores haeresis et schismatis: demum subiici censuris in iure canonico inflictis adversus eos qui electioni de se factae per saecularis potestatis abusum consentire praesumpserint.

Dubium sextum. Et quae ab ipsis satisfactiones exigendae?

Responsum. Ab iis qui iuramentum civicum pure et simpliciter emiserunt, exigi debere quod iuramentum retractent publice et palam, atque fidelium scan-

dalum reparent eo meliori modo quo fieri poterit: ab iis vero qui praeter praestationem civici iuramenti alia gravissima delicta in praecedentibus dubiis commemorata patrarunt, exigendas esse salutares et convenientes satisfactiones pro qualitate criminum, et poenitentium facultatibus.

Dubium septimum. Si Episcopus praefatus edicto solemni declaret se in sua Dioecesi tollere omnem et peccatorum et censurarum reservationem, demptis tamen et exceptis reservationibus Sedem Apostolicam spectantibus; quaeres utrum ipsae reservationes *de iure* tali edicto sublatae censendae sint.

Responsum. Per solemne edictum Episcopi iurati, declarantis se in sua Dioecesi tollere omnem et peccatorum et censurarum reservationem, demptis tamen et exceptis reservationibus Sedem Apostolicam spectantibus, sublatas censeri non debere reservationes de iure Episcopo factas.

Ex aedibus Vaticanis, die XIV Ianuarii MDCCXCVII.

Card. Rusca.

XLIII.

RESPONSUM

Sacrae Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Galliarum (1).

Congregatio ad ecclesiastica negotia Galliarum pertractanda peculiariter instituta perpensis litteris tuis, ad nos 11 decembris proxime elapsi, et die 16 ianuarii anni currentis datis, ipso summo pontifice annuente, tibi notum facere statuit:

(1) Par un arrêté du 15 Fructidor an. IV (2 Août 1796) le Directoire Exécutif de France avoit statué que les *bons* delivrès aux

Licere ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus, *bons* quotquot exhibentur, recipere, et bona ecclesiastica cum iis emere, ut eorum sustentationi honestae consulatur, non tamen animo dominium in bona empta acquirendi, sed ea reservandi ad quas pertinent Ecclesias, quibus, una cum fructibus ad vitam non necessariis, opportune reddere tenebuntur, et id ea lege, ut in ipsa bonorum emptione declarent, se empta Ecclesiis servaturos et accommodatiori tempore reddituros. Caveant praesertim regulares ne bona sibi comparent citra licentiam et consensum eorum superiorum, si facilis sit ad eos recursus.

Curent denique ecclesiastici tum saeculares, tum regulares, ne ulla omittant media a lege praescripta (quae tamen, pro temporum vicissitudine, locum habere poterunt), ut dicta bona etiam post mortem eorum, in dominio Ecclesiae permaneant, et nullatenus dispergantur: quod si cleri praesides animadvertant ecclesiasticum hunc agendi modum fidelium animis scandalo esse, eorum erit pro viribus pusillos docere id dura, quibus ecclesiastici subsunt, ferre tempora, et melius esse, dum omnia bona Ecclesiae periclitantur, ea partim tueri; atque plures aliae addi poterunt rationes, quas aequa mens suggeret.

Datum Romae die IV Februarii MDCCXCVII.

Ign. Cardinalis Rusca.

Ecclesiastiques de la Belgique en représentation de leurs pensions de retraite ***ne pourroient être employes qui en acquisition de biens nationaux situés dans les departemens réunis, ni être aliénés ou cedés à toutes autres personnes, qui seroient laiques.*** **Le clergé de la Belgique ne voulut point profiter de cette offre, sans avoir l'approbation du Saint-Siège. Il consulta donc, et obtint cette reponse par la Nonciature Apostolique de Cologne, qui la transmit de Munster où elle rèsidoit, au Doyen de la Collegiale de Tongres.** ***(Not. Edit. Rom. 1800. tom. 3. p. 347.)***

XLIV.

PII VI P. M.

DECRETUM

PRO ELECTIONE SUCCESSORIS SUI (1)

Nos Pius Papa Sextus, attentis peculiaribus praesentibus Ecclesiae circumstantiis, ut viam praecludamus dissensionibus quae, occurrente obitu Nostro, oriri forsan possent ex iis, quae in constitutionibus summorum pontificum Nostrorum praedecessorum servanda praescribuntur in electione novi Romani Pontificis, et praecipue in constitutione Gregorii X, Pii IV, septimo id. octob. anni 1562, et Clementis XII, quarto non. octob. 1732, Nostra apostolica auctoritate, et pro hac vice, derogantes in iis quae in iisdem constitutionibus servanda constituuntur, praecipue quoad tempus expectandi adventum ad Urbem S. R. E. Cardinalium extra Romanam Curiam commorantium, declaramus, mandamus, et stricte in Domino hortamur S. R. E. Cardinales fratres Nostros, in hac Romana Urbe existentes, ut ad novi Pontificis electionem procedant, ac procedere valide et legitime valeant, etiamsi Cardi-

(1) Impendentibus Romae sanctaeque Apostolicae Sedi gravissimis calamitatibus, Pius VI consultum voluit electioni successoris sui, si Deo placuisset ipsum ex hac vita migrare in difficillima illa rerum conditione. Narrat praesul *Petrus Baldassarri*, eundem Pontificem de hoc negotio decretum edidisse suaque manu et privato sigillo firmasse, licet qua die id egerit, ignorare se fateatur. Addit tamen, haec se accepisse a viro fide dignissimo, qui decretum illud viderat: se autem primam illius perscriptionem prae oculis habuisse, quae manu eiusdem Pontificis conscripta visa sibi est; et hanc retulit in suo opere, cui titulum fecit: *Relazione delle avversità e patimenti del glorioso Papa Pio VI etc. Modena 1841 Tom. 2. pag. 219.*

nales praedicti ab urbe absentes non advenerint. Hanc itaque derogationem ac declarationem auctoritate Nostra apostolica firmatam, servandam iubemus ac mandamus, praefatis constitutionibus et quibuscumque aliis in contrarium non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die... mensis februarii, anni MDCCXCVII.

XLV.

INDULGENTIAE

Quas Summus Pontifex, vel ab eo Delegatus benedicendo Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, Medaglie *vulgo nuncupata, impertitur Christi fidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, infrascripta pia opera implebunt.*

Utriusque sexus Christi fideles imprimis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat indulgentias, quas in praefata benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis numismatibus, coronis etc., secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo coronam, Crucifixum etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Praeterea ab huiusmodi Benedictione Sanctitas Sua reiicit imagines, sive impressas, sive depictas, necnon Cruces, Crucifixos, parvas statuas, numismata, vulgo *Medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stanno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua imagines, et icones benedicendas repraesentare Sanctos, vel iam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia praenotatis, indulgentiarum series, quas quis consequi potest, necnon piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra videre licet.

Quicumque semel in singulas hebdomadas coronam Domini, aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, eiusve tertiam partem, aut officium sive divinum sive parvum eiusdem Beatissimae Virginis, vel defunctorum, aut septem psalmos Poenitentiales, vel Graduales recitabit; aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicuius domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel si sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus festis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi, tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, Sancti Iosephi Sponsi B. Mariae Virginis, atque Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace, et christianorum principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum plenariam indulgentiam consequetur.

Qui eadem in aliis festis Domini, aut B. Virginis

Mariae peregerit, in quolibet eorum participet indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum. Qui vero quavis Dominica, vel alio anni festo, indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit coronam, aut rosarium, aut officium B. Mariae Virginis, vel defunctorum, aut vesperas, vel unum saltem ex nocturnis et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis earumque precibus, quo die egerit, indulgentiam centum dierum acquiret.

Quisque animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus, ac sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem divini Officii, vel parvi B. Mariae Virginis aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum indulgentiam, qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adiuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanae alicuius Ecclesiae mane, aut meridie, aut vespere consuetas preces *Angelus Domini etc.* dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* vel dato signo sub horam noctis orandi pro defunctis, Psalmum *De profundis,* aut si hunc nesciat, *Orationem Domi-*

*

nicam et Salutationem Angelicam recitabit, centum dierum indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eandem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de Passione, ac Morte Domini Nostri Iesu Christi, terque *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* recitaverit.

Quisque vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica et Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque vulnerum Iesu Christi *quinquies* devote eandem *Orationem et Salutationem* recitet, eandem indulgentiam consequetur.

Omnes, et singulas antedictas indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione praefatarum indulgentiarum nullo modo derogare indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores iam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem huiusmodi Coronis, Crucibus etc. eorumque usu Sanctissimus Dominus Noster servari iubet *Decretum fel. record. Alexandri VII* editum *sub die 6 Februarii 1657,* nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria etc., ut supra benedicta, quoad indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessae sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione, aut privilegio in contrarium non obstante: necnon eadem commodari, aut precario dari non possint pro indulgentiarum communicatione, alioquin amittant

indulgentias iam concessas: tum etiam praefata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint, iuxta dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum*, editi *die 5 Iunii 1721.*

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum *fel. record. Benedicti XIV sub datum die 19 Augusti 1752,* quo expresse declarat Missam ad altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi, sive Numismatis imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a sacerdote huiusmodi imaginem secum habente celebratas, vigore dictae imaginis, nullo prorsus gaudere privilegio.

Praeterea vetat, ne quisquam, quem infirmis morti proximis assistere contigerit, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis vigore huiusmodi imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi effectum in Constitutione *Benedicti XIV* incipien. *Pia Mater,* satis provisum iam fuit.

Ex speciali auctoritate a Sanctissimo Domino Nostro Papa PIO VI sanctae memoriae, Nobis benigne concessa sub die 26 Martii 1797 facultatem communicamus Reverendo Domino N. N. benedicendi decies mille Coronas precatorias, Cruces, Numismata etc. eisque applicandi indulgentias lucrandas ut supra.

Datum Embricae die 23 Iulii 1800.

(L. S.)

Signat. *Aloisius Ciamberlani,*
Vic. Sup. Miss. etc.

XLVI.

RESPONSA

DUBIIS PROPOSITIS A IOANNE BAPTISTA

Dioecesis Avenionensis Administratore.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, Divina Providentia Papa VI, de Concilio selectae Congregationis, ad singula quae proponuntur dubia, respondendum mandavit ut sequitur.

Dubium primum. Sacerdotes quidam, absolutione suspensionis accepta post civici iuramenti retractationem, ad primum vomitum timore perculsi reversi sunt, non quidem iuramentum denuo formaliter praestando, sed suam retractationem iuridice denegando aut revocando. Quaeritur utrum hoc facto eadem suspensione iterum innodentur, et nova Summi Pontificis egeant absolutione.

Ad primum dubium *Responsum.* Affirmative.

Dubium secundum. Presbyteri qui, saeviente persecutione, ob metum gravem presbyteratus litteras tradiderunt persecutoribus ipsas postulantibus in signum renuntiationis Ordini sacerdotali, debentne haberi tamquam apostatae, et iisdem poenis puniri?

Ad secundum dubium *Responsum.* Haberi debere tamquam apostatas ab Ordine et a Religione Catholica, et in censuras incurrere a sacris canonibus inflictas contra apostatas ab Ordine et a Religione Catholica.

Dubium tertium. Saeviente eadem persecutione adversus presbyteros, suis functionibus parochialibus, sed non sacerdotalibus renunciavit Parochus quidam, id exigentibus persecutoribus in odium Religionis, et pro

litteris presbyteratus quas ab ipso petebant in odium sacerdotii christiani, tradidit illis chartam latino idiomate quaedam scripta continentem, quam pro sua imperitia, presbyteratus litteras esse crediderunt. Quaeritur utrum per praedictam renunciationem functionibus suis parochialibus, et per fictam traditionem litterarum presbyteratus, aliquam censuram veluti apostata incurrerit praefatus Parochus.

Ad tertium dubium *Responsum.* Illum incurrere in censuras inflictas a sacris Canonibus contra apostatas ab Ordine et a Religione Catholica.

Ex aedibus Vaticanis, die XXIX Martii MDCCXCVII.

XLVII.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Utinam, dilecte Fili Noster, quam pro singulari tuo in Nos studio gratularis Nobis receptam a Deo valetudinem, eandem omnem impendere possimus in vindicanda a maximis huius temporis aerumnis Ecclesia. Quod certe consequi non tam speramus ab ulla opera Nostra, cum quidquid fecerimus servi inutiles simus, quam Dei excelsi dextera, qui tandem et Nostris et tuis tuique similium votis lacrimisque ad misericordiam flectatur.

Nostra haec fiducia maiorem in modum excitatur praestantibus litteris tuis die secunda Iulii ad Nos datis, in quibus praesentem rerum Gallicanarum statum Nobis retulisti. Valde laetati sumus intelligentes quae hactenus illic animorum immutatio coepta est, Deumque omnipotentem precamur, ut quod coepit Ipse perficiat, ac caeleste sanctissimae religionis lumen in eam iam inclytam nationem, in qua paene extinctum lugebamus, inferre ac restituere velit, omniumque mentes renovato et numquam defecturo veritatis fulgore illustrare ac inflammare. Haec unica multoque laetissima Nobis erit summi diuturnique, quo hactenus obruebamur, doloris compensatio.

Interim tuis litteris delectati valde sumus, dilecte Fili Noster, tamquam et virtutis tuae et animi Nobiscum coniunctissimi praeclaris testibus; tibique invicem Pontificiam existimationem ac paternam benevolentiam Nostram confirmamus Apostolica benedictione, quam in divinorum munerum auspicium tibi, commissisque tuae fidei ovibus ex intimo corde peramanter impertimur.

Datum Romae die XII Augusti MDCCXCVII, Pontificatus Nostri anno XXIII.

XLVIII.

DILECTO FILIO

WILDERICO

Episcopo electo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pergratum Nobis litterae tuae in hac temporum asperitate iucunditatis fructum attulerunt, in quibus egregium tuae in Nos atque in hanc apostolicam Sedem observantiae specimen perspeximus, simulque diligenter ac dilucide expositum a te accepimus, quod ex Brevi Nostro die quarta Iunii superioris anni dato ad Ven. Fratrem Augustum Episcopum praedecessorem tuum de adducta in dubium Aloisii Linderi ordinatione inquirendum supererat, ut quid facto opus esset auctoritate Apostolica decerneremus. Scilicet ille ad Nos retulerat, Aloisium Linderum posteaquam pravis consiliis inductus e Spirensi Seminario in Argentinense se contulisset, ibique a Brindelio in eam Ecclesiam intruso Episcopo ad tres Ordines superiores promotus, eiusdem etiam nutu et voluntate animarum curam in variis Spirensis dioecesis locis exercuisset, postmodum divini Numinis adspirante gratia in se reversum, sese iterum in pristinum Spirense Seminarium recepisse, nihilque nunc magis in votis habere, quam ut Ecclesiae reconciliatus in clero permanere valeat.

Qua in re duo considerationi Nostrae proposita intelleximus; unum quod attinet ad gravissima scelera, quibus se Linderus adstrinxit sacrilegae cum ordina-

tionis, tum et curae animarum ab intruso susceptae. Atque his quidem iam ante de Apostolica benignitate provisum est per memoratum Nostrum Breve ad praedecessorem tuum; quo facultatem fecimus sacerdoti cuilibet ad confessiones excipiendas approbato per Linderum eligendo eum ab admissis culpis absolvendi, praestita ante satisfactione per Breve Nostrum die 13 Iunii 1792 indicta, firma tamen manente suspensione et irregularitate. Alterum est, de quo ad Nos proximis tuis litteris retulisti, proposita nempe dubitatio de Linderi ordinatione, valida ne fuerit an irrita: quam dubitationem duplici ex capite subortam Nobis item praedecessor tuus exposuit. Primum videlicet quod cum ab intruso Parisiensi Gobelio consecrationis munus acceperit intrusus Brindelius, hinc metus Lindero iniectus, ne forte impius ille Gobelius in peragenda Brindelii consecratione necessariam intentionem non adhibuerit, inanisque adeo fuerit Brindelii consecratio, a quo Linderus ipse ordinatus fuit. Quem tamen metum leviori fundamento niti tuus ipse praedecessor agnovit. Nec immerito; quippe cum ex constanti Ecclesiae sensu et praxi sola per sese spectata improbitas ministri nullam umquam visa sit idoneam praebere causam dubitandi de valore sacramenti rite aliunde administrati. Quamobrem praedecessor tuus aliam, quam arbitratus est graviorem causam subiecit: num scilicet pro ea quae per intrusos inducta est foeda ecclesiastici ordinis perturbatione, a Gobelio in ordinandis episcopis omnia rite patrata sint, quae ad ordinationis vim, seu substantiam requiruntur. Qua in re, utpote quae ex facto pendet, sedulo requirendum rescripsimus, quo ritu quave ratione singularis praesertim illa peracta sit Brindelii consecratio.

Nunc porro, dilecte Fili, ex tuis litteris intelleximus, parochos quotquot ex tuae dioecesis parte Al-

satica istic loci erant, vi memorati Nostri Brevis in eo convenire, ut validam habendam putent Brindelii consecrationem, propterea quod, ut in litteris tuis scriptum est, « Gobelius publice et spectantibus plu» ribus inviolatae adhuc fidei tum clericis tum laicis, » consecrationem Brindelii peregerit, neminem autem » eorum, quotquot praesentes erant, advertisse, vel » omissum a Gobelio esse, vel perperam additum, quo » essentia consecrationis laederetur. » Quin etiam in eandem cum parochis sententiam eisdem de causis concessisse spectatissimum ipsum Argentinensem Episcopum dilectum filium Nostrum S. R. E. Cardinalem de Rohan. Neque demum tuam defuisse curam et diligentiam in sciscitando ab ipsomet Aloisio Lindero, quo ille ritu fuerit a Brindelio ad Ordines promotus, « ex » cuius, ut ais, minime fucatis responsionibus abunde » colligi posse arbitraris, omnia in eo servata esse, » quae in ordinationibus ex praescripto Ritualis ordi» nariis servanda sunt. » His praecognitis, consultationi tuae responso eo uno satisfaciendum duximus, quod apostolicis decretis sancitum, ac perpetuo Ecclesiae usu custoditum ac traditum accepimus; nihil ac ne quidem sub adiuncta conditione in ordinatione, etsi aliunde illicita, innovandum, quae ad normam approbati Ritualis peracta sit, nec in ea quidquam diligenti praemissa inquisitione, ut in proposito casu Linderi, se prodat, quod iustam, gravem, vereque probabilem de illius valore dubitandi causam afferat. Quocirca facultatem tibi facimus, dilecte Fili, ut non modo ad reconciliationem Linderi iuxta normam in dicto Nostro Brevi praescriptam procedere, verum insuper prout in Domino expedire tibi videbitur, eundem a vinculo suspensionis et irregularitatis, quo propter memoratas culpas irretitus tenetur, solvere, atque hac ipsa eadem absolvendi ac dispensandi facultate cum

aliis etiam, quos tibi in eodem casu esse constiterit, uti valeas, prudentiae tuae confisi, tuisque postulatis benigne inclinati concedimus.

Ceterum quod *super anxiis rebus, quae sit tenenda sententia* ad Nostrum apostolatum retulisti, iure Nobis tibique gratulamur; te ineundi Episcopatus commendationem ab exemplo duxisse, quod in Africanis Patribus Carthaginensibus et Milevitanis meritis laudibus exornavit praedecessor Noster S. Innocentius I. (1), quod nimirum antiquae regulae formam secuti « *quidquid quamvis remotis disiunctisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iuxta quae fuerit pronunciatio firmaretur.* Valdeque propterea in Domino confidimus fore, ut praeclaris hisce initiis totius tuae administrationis in illustri tibi commendata Ecclesia cursus exitusque respondeat. In cuius voti Nostri, Nostraeque in te benevolentiae pignus Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romae die XVI Decembris MDCCXCVII, Pontificatus Nostri anno XXIII.

XLIX.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam (2).

Christi Ecclesiae regendae officium etsi quotidianis assiduisque curis subiectum semper fuerit, omne tamen tempus Pontificatus Nostri extraordinariis quibusdam

(1) Epist. 181. 182. ap. Augustin. Tom. II. Edit. Maurin.

(2) Latinus textus Constitutionis istius *qui hic exhibetur*, non censendus est originalis, qualis scilicet prodiit ab Apostolica Sede;

fluctibus adeoque violentis ad hanc usque diem iactatum est, ut nulla prorsus humana vi, consilio, vel opera, ni divina protectione sublevemur, illos evadere posse sentiamus. Novae enim semper procellae excitabantur, timores et pericula ingruebant, aggrediebantur damna, angustiae, calamitates, et post tot molestias, nondum datum Nobis pace et quiete frui, neque adhuc effluxerunt haec tempora novitatum ac dolorum feracissima.

sed est versio nunc elaborata ex italica quam concinnavit Praesul Petrus Baldassarri et retulit in opere quod inscripsit: *Relazione delle avversità e patimenti del glorioso Pio VI negli ultimi anni del suo pontificato. Modena 1840.* Tom. 2. pag. 220.

Rei autem dilucide exponendae, atque ut lectores de authenticitate constitutionis istius recte iudicare valeant, expedit hic referre, quae idem Baldassarius in praedicto opere loco citato narrat: « Post ea quae acciderunt die 28 Decembris 1797, magis la- » crymabilis evaserat conditio S. Sedis et Urbis Romae, quam quae » fuisset elapso mense Februarii. Quapropter visum est Pio VI » non sufficere praefatum decretum (quod hic superius allatum » est pag. 144) ad facilem sui successoris electionem; verum opor- » tere, ut solemniori et ampliori modo obstacula praeverterentur, » quibus turbari et impediri posset tantae rei executio. Itaque ea » de re elaborari iussit constitutionem Apostolicam cuius initium » est *Christi Ecclesia* cuique dies adscribitur 30 Decembris 1797. » Plurimum conquisivi exemplum memoratae constitutionis: verum » propter gravia damna archivis Romanis illata in ultimis perse- » cutionibus, etsi multum et diu conquisierim, invenire tamen non » potui nisi unum exemplum constitutionis praedictae, imperfectae » tamen latinitatis, ita ut illud mallem reputare ferme primam » perscriptionem. Idcirco non decet illud latino sermone edi, et » solum huc inseram italice versum: animadverto tamen antequam » illud transcribam, me nullo pacto dubitare, quin Bulla seu Con- » stitutio *Christi Ecclesiae*, qualis adamussim a Pio VI dum exu- » laret ad Cardinales missa fuit, plene conformis non esset, quoad » tenorem substantialem, exemplo, quod a me inventum est. » Hactenus Baldassarius. Cum itaque libuisset monumentum istud in hanc collectionem inferre, placuit eiusdem exemplum italice uti supra editum latino sermone donare, ut universis eiusdem lectio pervia et facilis esset; versio autem tanta cura peracta est, ut minus latine quam minus fideliter traducere iuverit.

Vigilandi, circumspiciendi, patiendi, flendi causae semper praesto sunt. Neque solum de praesentibus malis dolendum Nobis est, verum etiam oportet, ut qua fusis ad Deum precibus, qua omni possibili conatu, incertae ac terribili futuri temporis perturbationi prospiciamus. Atque utinam in tantis humanarum rerum vicissitudinibus, et in ambigua ista atque incerta inimicorum temporum conditione, aliquid adinvenisse detur, quod ullam quietis et consolationis spem iniiciat vexatis ac perturbatis Ecclesiae negotiis, populisque fidelibus! Quapropter nonnullorum Pontificum praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, de eo imprimis cogitandum Nobis est, quod statim agendum erit, ubi hanc Apostolicam Sedem vacare contingat; quod scilicet Cardinales S. R. E. quamprimum ineundis comitiis promptam operam impendant opus erit; ex his enim quod gravissimum est in sacris rebus, et magna ex parte futurus Ecclesiae status procedit ac pendet. Nostri quidem praedecessores multa suis temporibus opportuna excogitarunt ac sapientissime decreverunt, de gravissimo negotio eligendi novum Pontificem. Cum autem nova rerum adiuncta supervenerint, nova necesse est parare et sancire decreta iisdem accommodata.

Primo itaque et ante omnia deliberandum fortasse erit Electoribus de loco celebrandorum comitiorum seu de amplo conclavi, in quo omnes convenire et morari debebunt usque ad novi Pontificis electionem: videlicet num conveniens iisdem sit a vigenti consuetudine recedere conveniendi in aedes Vaticanas ad S. Petri, uti actum est praecedentibus saeculis, ad vitandum aër insalubre; num ad maiorem loci securitatem, ac in ferendis suffragiis libertatem; atque ad minora impendia in instruendo pro more conclavi procuranda propter aeris inopiam ab Aerario vel ab Electoribus suppeditandi; vel demum ob necessitatem negotii quo

celerius fieri poterit absolvendi, cogantur iidem Electores ad aliam mansionem eligendam minime incommodam, et ad ea quae diximus peragenda opportuniorem. Quapropter volentes Nos omni et quacumque dubitatione circa conclavis locum immutandum Cardinales solvere ac liberare, Cardinalibus ipsis qui aderunt indulgemus, ut universi in eum locum se transferant, qui ab iisdem vel a plerisque eorum aptior et magis conveniens iudicabitur; ac declaramus hanc in aliud conclave translationem legitimitati actus peragendi nullo pacto obesse.

Eaedem hodiernae difficultates rerum ac temporum, quas vix sperare licet facile in pristinam quietem et securitatem ita immutatum iri, ut nulli impedimento obnoxia sit alius legis observantia de die, quo Cardinales praesentes conclave ingrediantur, quot scilicet diebus, post viduatam pontificiam Sedem simul convenire debeant et secedere ad electionem perficiendam: eaedem inquiebamus difficultates illud etiam postulant, ut post maturam considerationem, et omnem quae oriri posset dubitationem ab animis tollentes, decernamus quid in futuro quoad praefatam legem agendum sit. Novimus nonnullis abhinc saeculis invectam fuisse ac deinde servatam consuetudinem, quae multo magis roborata est post editas constitutiones Gregorii X, Pii IV, Gregorii XIII aliorumque Pontificum et praesertim Clementis XII, qui in sua constitutione *Apostolatus officium* eius rei expresse non meminit, sed generaliter eam confirmat cum ceteris quae a praecedentibus Pontificibus decreta fuerunt; consuetudinem inquimus, ut decima die post obitum Pontificis Cardinales conclave ingredi debeant, ibique conclusi operam dare electioni. Hac lege eos in conscientia obligari multi Canonistae affirmant, cum aequum et iustum sit, ut absentes Cardinales intra decem dierum spatium ve-

nire possint, atque ut spatium ipsum non sit prorogandum propter nonnullorum absentiam; sed magis curetur, ne Ecclesia diutius visibili suo Capite careat suoque pastore. Verum quae stabilis ac determinata lex incertae necessitati temporum turbulentissimorum praefigi potest? Quinam vades erit in praesentibus humanarum rerum vicissitudinibus minime futurum ut tempora quae ab initio praefixa fuerant ad summa et gravissima negotia pertractanda, breviari vel prorogari debeant?

Quare consuetudinem illam et legem de decem diebus temperamus; et Cardinalibus S. R. E. qui praesentes erunt, liberum arbitrium damus et concedimus, ut non expectato decimo die viduitatis Apostolicae Sedis, in conclave convenientes, omnique mora abrupta, praeveniant impedimenta praevisa et proxima sive ob imminentes inquieti populi tumultus, sive propter excursiones et metum belli, vel ob alias similes proximas causas calamitatum. E contra si illa eadem gravia obstacula iam praesentia sint, et conspiciantur violentia sua omnia perturbare, nec ullam tranquillitatis et libertatis spem relinquant, tum ab iisdem Cardinalibus spatium illud extendendum ac prorogandum erit, donec tempestas residere incipiat, tempusque magis serenum splendere videatur. Volumus itaque, ut ad eosdem Cardinales S. E. R. potestas tunc pertineat iudicandi ac decernendi pro rerum conditione quando in Conclave ingrediendum sit; itemque volumus ut si non omnium concors sententia esset, omnes tamen teneantur se conformare et obedire dicto maioris numero partis. Quod si tranquilli erunt dies praedicti, et omnia absque ullo mali periculo veluti in portu consistant, tunc omnia secundum legem fiant, et servetur praedictum spatium decem dierum pro ingressu in conclave: atque ita haud pauci ex Cardinalibus qui non degunt

in locis valde remotis, possint tempestive advenire; et non videatur vel nimis propere aut nimis morose actum fuisse in peragenda re tanti momenti.

Illud autem decem dierum tempus non otiose transigetur, quoniam multa eo labente a Cardinalibus facienda sunt; videlicet iusta funebria defuncto Pontifici quotidie persolvere, regendi Status ferre onus, aliaque exequi prout cavetur in praedictis Apostolicis constitutionibus; quarum vi et auctoritati nihil detrahimus hisce Nostris litteris; quin easdem in suo robore confirmamus, illo tantum excepto quod superius declaravimus, cum scilicet id exiget infelicissima temporum conditio, et incolumitas corporis catholici, quae a Capite praecipue in alia membra diffunditur.

Novas hic leges non ferimus; verum nonnullas inter eas quae iam latae sunt, et quae novis certis eventibus non responderent, et quin in hisce casibus prodessent electioni Pontificis, huic impedimento forent, non abolemus quidem sed eas temperamus tantisper, ac temporum, quae supervenire possunt, conditionibus aptamus, permittentes et concedentes per hanc Nostram constitutionem Cardinalibus S. E. R. tam praesentibus quam futuris, ut quoties vacabit Apostolica Sedes, ac liberae Pontificis electioni ea obstabunt impedimenta, quae Nobis indicata sunt a praesenti difficillima conditione publicarum rerum, absque ulla dubitatione vel formidine arbitrium suum extendant ad immutandas memoratas leges. Quapropter de consilio et assensu Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ac de plenitudine Apostolicae potestatis volumus et mandamus, ut Cardinales qui praesentes aderunt congregentur statim post mortem Summorum Pontificum, et conditione temporum in consultationem revocata, disquirant inter se, ac decernant, num consuetum Conclave adeundum, vel aliud eligendum sit; itemque

num acceleranda sit vel proroganda dies qua in conclave debeant convenire. Atque id quod plerisque placuerit, obliget omnes: ac utentes concessionibus superius explicatis, omnique dubitatione deposita, ad novi Pontificis electionem, auxiliante Domino, procedant.

Decernentes praesentes litteras etc.

Non obstantibus etc.

Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus etc.

Nulli ergo hominum liceat etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXCVII, tertio Kalendas Ianuarii, Pontificatus Nostri anno XXIII.

L.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

Alex. Augusto Archiepiscopo Rhemensi, — H. I. E. Episcopo Suessonensi, — A. S. Episcopo Comensi Cattoalaunensi, — L. H. H. M. Episcopo Laudunnensi, — L. C. Episcopo Ambianensi, — L. A. Episcopo Noviomensi, — I. R. Episcopo Marino Coloniensi, — I. A. Archiepiscopo Bituricensi, — I. B. M. Episcopo Autossidoriensi, — I. B. I. Episcopo Carnotensi, — Alexandro Archiepiscopo Lugdunensi Primati Galliarum.

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratribus, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dignus plane fide, ac pietate vestra explorata iamdudum Nobis atque perspecta, Venerabiles in Christo Fratres, luctus est iste, cuius acerbitate vos oppressos fuisse perhibetis, ex quo dignitatem apostolicam con-

culcatam, violatam immunitatem Ecclesiae, expulsum per execrabilem vim a sede sua Pontificem Romanum audistis. Neque enim fieri poterat, in tam funesta rei christianae plaga quin gravissimo luctu vos opprimeremini, qui primi omnium in Ecclesiae unitate tenenda tuendaque tam acerba atque indigna, tam admirabili constantia atque alacritate passi estis. Est tamen quod laetemini in eo dolore, quem acerbissimum ex Ecclesiae aerumnis, atque ex oppressione nostra percipitis. Cum enim vos primi ad imaginem passionis Christi conformati tanta firmitate, quantam orbis terrarum universus demiratus est, tam gravia pertuleritis pro Ecclesia, virtute vestra exemplo infirmitati Nostrae fuistis, ut Nos in laboribus gravissimis sustinendis imitatores vestrae fortitudinis fieremus, et laetantes a conspectu inimicorum Nostrorum iremus; quoniam spectaculum mundo, Angelis et hominibus vobiscum facti, digni habiti sumus pro Nomine Iesu pati contumeliam.

Itaque consolemur Nos invicem, Venerabiles Fratres, nam etsi tribulatio Nostra tanta sit, quanta humanis viribus videatur ferri non posse, a Deo tamen, a quo omnis fortitudo est, et qui Nobiscum se futurum usque ad saeculi consummationem promisit, adiutorium huiusmodi habemus, ut eam Nos non constanter solum, sed cum gaudio etiam perferre possimus. Sed quoniam quemadmodum ad Flavianum Sanctus Leo Magnus scribebat, *Licet magnificemus Deum, qui nos gratiae suae virtute confortat, necesse est tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, et ipsa totius Ecclesiae fundamenta quatiuntur,* rogandus est indesinenter D. N. Iesus Christus, qui omnes homines salvos fieri vult, et cuius miserationes sunt super omnia opera Eius, ut a tanto periculo redemptos sanguine suo liberet; neque patiatur in tam multorum

praevaricantium perditione sine causa et vane suam fortitudinem esse consumptam.

Quoniam vero apertissimum est, supra caput Nostrum potissimum omnipotentis Dei manum esse gravatam, ne Vos, qui membra huius capitis estis tabescatis dolore Nostro, ad confirmandam virtutem vestram iisdem verbis utemur, quibus Sanctus Silverius Papa usus est, cum relegatus in insula Pontia ad Amatorem episcopum scribebat: *Nos quidem sustentamur pane doloris, et aqua angustiae potamur: verumtamen nec dimisimus, nec dimissuri erimus officium Nostrum*. Illudque addemus praeterea, quod per Vos, Ven. Fratres, patere ceteris fratribus volumus, nullum tribulationis genus tantum, tamque acerbum esse futurum, quod Nos a charitate Christi sit umquam separaturum; nullum quod confortante infirmitatem Nostram Deo, libentissimo animo subituri non simus, dummodo calamitas qua urgemur Nos, a Filiorum dilectissimorum Nostrorum periculo sit seiuncta, ac per labores Nostros restitui pax et conservari unitas Ecclesiae possit.

Valete, Venerabiles Fratres, et Christi confessores clarissimi, quibus pacem, quam impii habere numquam possunt, pñ vero etiam in angustiis, ac laboribus gravissimis possident, ex animo adprecantes, Apostolicam Benedictionem paterni et grati animi Nostri pignus amantissime impertimur.

Datum Florentiae apud B. V. Mariam in caelum Assumptam nonis Iunii anni MDCCXCVIII. Pontificatus Nostri XXIV.

Iosephus Marotti.
SS. D. Nostri a Secretis.

LI.

FACULTATES

SACERDOTIBUS FIDEI CAUSAE DEPORTANTIS VEL DEPORTANDIS,
SANCTAE SEDIS COMMUNIONEM HABENTIBUS,
AUCTORITATE APOSTOLICA CONCESSAE

R. P. D. PETRO GRAVINA

Archiep. Nicaeae, Nuntio Apostolico ad Helvetios, Rhaetos, Valesianos etc.

Cum plures Galliarum episcopi sanctae Sedis apostolicae communionem habentes, pro sua pastorali sollicitudine et fidei catholicae atque animarum zelo, spirituales, quibus Gallicae ditionis sacerdotes ad deportationem in regiones transmarinas, fidei causa damnati, premuntur, necessitates, et quam multum intersit ut quantocius eisdem in huiusmodi angustiis auctoritate apostolica succurratur, sanctissimo Domino nostro Pio Papae VI humillime exposuissent; cumque ab eodem S. N., qui ovium sibi concreditarum, et tot praesertim venerabilium fidei confessorum saluti, paterna semper cum benevolentia, charitate et sollicitudine invigilat, necessariam ad praefatorum fidei confessorum spiritualibus necessitatibus subveniendum, auctoritatem Nobis per litteras apostolicas die 10 Iunii nuper elapsi datas, communicatam esse intellexissent, sequentia Nobis exponenda duxerunt, scilicet:

1. Valde verisimile esse, fore ut sacerdotes deportati, ac Rupifortium primo deducti, subsidia spiritualia (quantuscumque vicariorum generalium reverendissimi episcopi Rupellensis sit zelus) a presbyteris pro hac dioecesi approbatis obtinere, aut ad eundem reverendissimum Ordinarium approbationis impetrandae causa recurrere difficillime possint: expedire igitur ipsos in

hac hypothesi, et quamdiu in hoc portu morabuntur, ad suas vicissim confessiones excipiendas approbare.

2. Fieri posse, ut horum fidei confessorum destinationes, sive quoad portum in quo navis profectio exspectanda erit, sive quoad ipsummet exilii locum, a suprema Galliarum potestate subito ac inopinate mutetur: quapropter ad finem intentum efficaciter consequendum expedire, ut non pro Rupifortii portu et Guiana tantum, sed et pro alio quocumque portu et loco, ubicumque etiam religio catholica viget, ad quem (durante eorum deportationis itinere) pervenient, ac per transennam commorabuntur, supradicta approbatio valeat, atque ita eorum conscientiae anxietatibus ac perplexitatibus, quae in diversis ac momentaneis ipsorum stationibus ex approbationis defectu oriri possent occurratur.

3. Non minus necessarium esse, ut haec approbatio seu facultas ad omnes irregularitatis casus censurasque reservatas, immo ad illam etiam, quae ex praestito iuramento civico, tempore utili haud retractato ab Intrusis incurritur, sese extendat; ex eo quod nonnulli eiusmodi criminum rei sacerdotes etiam deportabuntur; ac proin fieri potest, ut ex ipsis aliqui, divina opitulante gratia, ad poenitentiam adducti, reconciliatione ac dispensatione super hisce irregularitatibus sese dignos reddant. Cum autem iis qui tali modo absolutionem et dispensationem obtinuerint, scandala maiora, vel minora in diversis forsan eorum residentiae locis reparanda supersint; operae pretium videtur decernere, ut iidem, si umquam in suas respectivas dioeceses redierint, ordinis a quo suspensi fuerant functiones non ante exercere audeant, quam Ordinario suo legitimo sese praesentaverint, licentiam hanc ab ipso impetraverint, atque scandala sive maiora sive minora, in ipsismet locis (si id necesse sit),

in quibus data fuerint, convenienti modo reparaverint.

4. Nihil aut parum saltem incommodi seu mali timendum, at vero multum utilitatis seu boni sperandum videri, si memoratae facultates generaliter omnibus concederentur sacerdotibus saecularibus, vel regularibus, sive parochis sive non, qui comprehensionis suae tempore a suis Ordinariis legitimis iamiam erant approbati, quique post suam comprehensionem deportati fuerint; dummodo tamen civicum iuramentum nullatenus praestiterint, aut si id praestiterint, ab eo legitime absoluti fuerint.

5. Interesse, ut non tantum suas invicem, sed et omnium in navibus exsistentium confessiones, durante deportationis itinere, excipere possint.

6. Interesse et quidem multum videri, ut eiusmodi fidei confessores, cum ad Guianam, seu ad alium qualemcumque eorum deportationi destinatum locum pervenerint, praefatis hisce omnibus uti facultatibus possint, sicut et alii omnes antea iam deportati, qui in ipso deportationis suae tempore, a respectivis Ordinariis suis legitimis iamiam approbati exsistebant, atque ita ut deportatorum singuli tali modo approbati, in respectivis sui exilii locis, non suas solum invicem, sed et omnium fidelium ibidem commorantium confessiones excipere, et matrimonia, si id circumstantiae postulaverint, benedicere possint; ea tamen lege: 1. Ut a locorum in quibus exsulabunt, legitimis ac sanctae Sedis communionem habentibus Ordinariis, vel Vicariis apostolicis, si tales ibi sint, et ad ipsos recurri possit, ad excipiendas praefatorum fidelium confessiones et matrimonia benedicenda, praevie approbentur. 2. Ut vi dictae approbationis apostolicae, suas invicem confessiones tamdiu dumtaxat excipere valeant, donec ad praefatos Ordinarios, vel Vicarios apo-

stolicos recurrere, et approbationem ab ipsis obtinere potuerint.

7. Denique interesse, ut eorundem deportatorum singulis insuper concedatur facultas, in respectivis exilii sui locis, lapides altarium, vasa atque ornamenta sacra ad celebranda sacrosancta mysteria atque ad cultum divinum necessaria (adhibito tamen oleo ab Episcopo catholico benedicto), servatis servandis, consecrandi et benedicendi, nec non super ara portatili, in loco tamen decenti, missam celebrandi, si quidem ecclesiam absque maximo incommodo vel difficultate adire non potuerint.

Nos igitur praefatorum sacerdotum, nec non fidelium ad quos pervenerint, spiritualibus necessitatibus, quantum in Domino possumus, consulere cupientes precibus supra et retro septemplici numero expressis, atque gravibus quibus innituntur rationum momentis diligenter perpensis, antefata speciali et apostolica auctoritate a Sanctissimo Domino Nostro nobis communicata, omnes et singulas facultates in singulis septem numeris petitas, iuxta clausulas, conditiones et hypotheses ibidem expressas, memoratis sacerdotibus, sive iam deportatis, sive deinceps deportandis, benigne in Domino concedimus. Hortamur autem eos, ut eiusmodi facultates ad maiorem dumtaxat Dei gloriam, religionis catholicae incrementum et animarum salutem, atque cum debita prudentia, servatis servandis, exerceant.

Datum ex arce Hegne prope Constantiam, ubi pro tempore degimus, hac die XXV mensis Iulii MDCCXCVIII.

P. Archiepiscopus Nicaeae, Nuntius Apostolicus.

—

LII.

DILECTO FILIO NOSTRO

HENRICO S. R. E. PRESBYTERO CARD.
DE FRANKENBERG (1)

PIUS PAPA VI.

Singularis ista tua, summa in virtute, modestia facit D. F. N. ut litteris tuis in hac tribulatione Nostra, et in ea, qua urgemur, ecclesiarum omnium sollicitudine interpellare te Nos posse suspicieris. Tune umquam nos interpelles? Cuius cum semper constantiam ac mansuetudinem tot in adversis perferendis, vel a primis huius tempestatis turbulentissimae exordiis, demirati sumus, tum litterarum sapientia ita recreamur, ut in his miserrimis temporibus nihil iis ad moerorem animi Nostri abstergendum praesentius inveniamus. Quae sane, si nondum afferre possunt, quae ad Ecclesiae tranquillitatem vehementissime cuperemus, afferunt tamen quae in gravissima hac eius plaga maximo Nobis solatio esse debent. Quid enim ad leniendam vulnerum nostrorum acerbitatem efficacius sit Nobis, quam cognoscere, in tanta impiorum vi, te ceterosque Belgii antistites confessores fidei constantissimos, infinitum praeterea sacerdotum fidelissimorum numerum tanta patientia, firmitate, mansuetudine, rapinam bonorum, impiorum iniurias, carcerem, exsilium, rerum omnium egestatem pro conservanda Ecclesiae unitate perferre? quam scire, nullum calamitatum vel asperrimarum genus efficere posse, quin tot invicti Christi athletae in fide atque officio perma-

(1) Archiepiscopo Mechliniensi.

neant, a iuramenti impietate abhorreant, apostolicam opem, vel cum vitae suae periculo, indigentibus exhibeant, omnia denique praestent quae propria pastoralis ministerii sunt et sacerdotalis firmitatis? Magna certe tempestas, D. F. N. et, ut recte tu quoque scribis, numquam ad haec usque tempora post hominum memoriam audita, ex inferorum portis contra Ecclesiam est emissa, verum cum ea sit tanta cum gloria eius, tantaque cum vestra utilitate coniuncta, non vos ob tanta mala, quae fertis , dolere , verum ob tanta decora, quibus augetis Ecclesiam, laetari debetis. Nos certe, quamvis eiecti e principe Ecclesiae sede, patrimonio sancti Petri spoliati, distracti a fratribus Nostris carissimis , tantis premamur aerumnis , quantas sine peculiari Dei auxilio ferre nullo modo possemus, quamvis etiam exitium eorum gravissime doleamus, qui, magis diligentes tenebras quam lucem, ab Ecclesia desciverunt , et , instigante diabolo , pervicacius quam ceteri patientiam vestram exercent; doloresque vestros praeterea perinde communes habeamus, ac si eos Nos ipsi ferremus, tamen cum vestram patientiam, tam multis in laboribus sustinendis, tantam esse intelligamus, tantam ceterorum filiorum fidelissimorum in retinenda religione constantiam, laborum Nostrorum omnium paene obliviscimur, et ob tam praeclara bona, quibus hac de causa cumulatam videmus Ecclesiam, mirifica iucunditate ac laetitia recreamur. Quae cum ita sint, noli D. F. N. ob eas, quibus iactamur, calamitates supra modum tristari. Magnae hae quidem sunt, sed magna simul eaedem cum animi nostri iucunditate coniunctae. Quin potius gratias age D. N. I. Christo, quod dignos Nos quoque habuerit, qui vobiscum, ad Ecclesiae gloriam augendam, pro nomine eius contumeliam pateremur. A quo cum promissum habeamus, se usque ad consummationem sae-

culi Nobiscum futurum, aderit semper Nobis, ut adest nunc, nec umquam Nos destituet in tribulationibus Nostris, non ut nihil patiamur, sed ut magis in dies conformes facti imagini passionis suae, omnia potentes in eo, qui nos confortat, patientes multa, nulla saevientium crudelitate superemur, et mansuetudine et fide Nostra ad Ecclesiam augendam, de vi atque potentia inimicorum nostrorum triumphemus. Nam, ut ait sanctus Ambrosius (1): « Fides Ecclesiae neque in gla» dio suo feras expulit nationes, nec certamine bellico » turmas fugavit; sed mansuetudine ac fide terras ini» micorum possedit. Fides enim sola pugnavit; et ideo » triumphos meruit; quia persecutionibus suis non vin» citur Ecclesia sed augetur. » Vale, D. F. N. et quoniam tantam animi firmitatem tibi indidit Deus, noli in confirmandis fratribus tuis defatigari. Episcopo Ruremundae, quem consortem tribulationis ac socium tranquillitatis habes, pacem a Nobis et gaudium in D. N. I. Christo nuntiabis, eumque ceterosque omnes, qui etiam cum vitae periculo, ut bonos Pastores decet, apostolicam operam navant Ecclesiae, Nostris verbis rogabis, ut perseverantes in oratione a D. N. I. Christo, qui pro omnibus mortuus est, et vult omnes homines salvos fieri, in precibus suis impetrent, ut praevaricantium filiorum perditionem avertat, confirmet imbecillitatem infirmorum, fortium virtutem et fidem adaugeat; et si nondum propitiationis dies advenit, quo tranquillitatem reddat Ecclesiae, eam victoriis filiorum suorum exornet atque augeat.

Scripseramus hactenus has litteras ad te cum ecce alteras accipimus tuas triduo post datas ac superiores fuerunt. In his nuntias archipresbyterum Mechliniensem cum doctore Lovaniensi, utrumque e numero

(1) Enarrat. in Psalm. 48.

iuratorum et schismatis exorientis fautores, venturos ad Nos, ut aequitatem iuramenti sui propugnent, et damnationi Nostrae fidem abrogent, Nosque, si fieri possit, circumveniant. Laudamus, D. F. N. diligentiam tuam, quod episcopalis officii duxeris praemonendos Nos esse, ut homines huiusmodi caveremus. Nos vero in hac causa, quales ab initio fuimus, tales erimus semper, ut appareat nihil temere umquam aut praeiudicio aliquo ab Ecclesia fieri, verum omnia in ea, divini Spiritus sapientia regente, cuius ductu errare non possumus, administrari. Tibi, D. F. N., episcopo Ruremundae, ceterisque istis Christi confessoribus, Nobis in Christo carissimis, apostolicam benedictionem, paterni et grati animi Nostri pignus peramanter impertimur.

Dat. ex coenob. Carthus. prope Florent. die XXX Iulii MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

Iosephus Marotti,
SS. D. N. ab epistolis latinis.

LIII.

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO

Episcopo Auriensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nihil a te commissum est, Ven. Frater, quare quod nondum per procuratores tuos visitata sint sacra SS. Apostolorum Limina, aut culpa aliqua obstrictum, aut censura ulla ecclesiastica affectum te esse arbitreris; cum quidquid factum non est, id propter

impedimenta temporum, non autem propter negligentiam tuam factum non fuerit. Cui tamen religioni ut satisfacias per eosdem procuratores tuos curandum quidem tibi erit, verumtamen cum tempora minus impedita id fieri sinent.

Idipsum putandum tibi est, quod nondum adhuc de statu Ecclesiae ac dioecesis tuae ad Apostolicam Sedem scripseris. Dolendum quidem tibi esset, si nec mala valetudo, nec temporis angustiae aliaque gravia impedimenta, ut scribis, te prohibuissent, quominus id intra annum iuxta Concilii Tridentini leges facere liceret; et merito tunc quidem absolutionem a Nobis postulares. Quum vero tam iustis de causis huic tuo debito satisfacere nondum potueris, non videmus cur postules, ut iis vinculis solvaris, quibus nullo modo videris obstrictus.

Nihilo tamen minus absolutionem quam petis, mittimus, teque ad omnem dubitationem animi tui tollendam omnibus poenis canonicis liberatum declaramus, si forte tam in visitationis quam in relationis negotio aliquo te vinculo obstrinxeris, quo per Nos solvi debeas. Quod tamen, quum tam perspecta Nobis tua sit virtus atque in omni officio explendo diligentia, ne suspicari quidem de te possumus. Ut vero pendere animi amplius non debeas, temporis spatium ad utramque rem conficiendam tibi ad alterum triennium prorogamus, ut et SS. Apostolis honores debiti reddantur, et S. Sedi pateat status Ecclesiae tuae.

Quam uti diligentissime custodire pergas, his praesertim tam periculosis temporibus, quanto maximo possumus studio te obsecrantes, tibi apostolicam benedictionem paterni animi Nostri pignus peramanter impertimur.

Datum Florentiae in Coenobio Carthusiano die XX Augusti MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

LIV.

VENERABILIBUS FRATRIBUS NOSTRIS

S. R. E. CARDINALIBUS

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum dilectus filius Thomas Antici, pridem S. R. E. Cardinalis tituli S. Mariae trans Tiberim, litteris datis die 7 mensis martii anni huius 1798, significaverit Nobis se, ob assiduam corporis invaletudinem, parem amplius non esse sustinendis oneribus Cardinalatus, quo nos eum insignivimus die 30 mensis martii, anno 1789, ob eamque causam abdicare se e munere Cardinalatus velle, et e Cardinalatu vere ac solemniter sese abdicare: cumque Nos ipsi exploratum habeamus vere eum corpore male affecto esse ac morbis periculosissimis obnoxio; siquidem morborum gravitate ipsum non semel in extremum vitae discrimen adductum novimus: cum praeterea dubitare minime possimus quin litteras quas idem, adscripto suo nomine, misit ad Nos, vere ipse miserit, et ex animi sui sententia scriptas miserit: praeterquam enim characterem eius noscimus, idem Thomas Antici iis etiam qui tunc Romae Consules constituti erant alteras litteras dedit die 8 martii, in quibus aperte professus est, solemniter Cardinalatu in manibus Nostris deposito per litteras ad Nos datas, eo se honore abdicasse; in eiusque abdicationis fidem, exemplum epistolae quam ad Nos scripserat, ad eosdem Consules misit: cum denique, sexto iam post mense, nullas alias ab eo litteras acceperimus, quibus idem a proposito recessisse, atque abdi-

cationem suam revocasse Nobis declaraverit, ob eamque causam Nobis ambigendi nullus sit amplius locus de perseverante Thomae Antici voluntate in deponenda Cardinalatus dignitate: propterea Nos, auxilio divini luminis implorato, ac diu multumque meditati quid in hac causa fieri a Nobis oporteret, cognito etiam venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, quos aut alloqui coram, aut per litteras consulere potuimus, cum, iustissimis de causis, statuerimus abdicationem hanc a Nobis esse admittendam, ut valeant quae dilectus filius Thomas Antici per eam conficere voluit: auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, abdicationem Thomae Antici e Cardinalatu admittimus solemniter atque acceptamus. Tum Thomam Antici omnibus Cardinalatus oneribus liberatum, titulo, appellatione, honoribus, insignibus, privilegiis, praeeminentiis, iuribus quovis modo ad dignitatem Cardinalatus spectantibus, ac praesertim vocis activae et passivae in electione Summi Pontificis vere spoliatum, sacramenti obligationibus solutum declaramus: ita ut Thomas Antici, pridem S. R. E. Cardinalis, deinceps censeri debebit perinde ac qui presbyteri privati sunt censeri solent. Vos itaque, venerabiles Fratres, non amplius Thomam Antici, presbyterum, in collegio vestro recensebitis, eumque Cardinalis appellatione, titulo, honoribus, praerogativis, privilegiis et iuribus quovis modo ad Cardinalatum pertinentibus, ex hac die prorsus destitutum atque spoliatum iudicabitis. Sic de potestatis Nostrae plenitudine decernimus atque praecipimus, et vobis Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum ex coenobio Carthusianorum prope Florentiam, die VII Septembris MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

LV.

VENERABILIBUS FRATRIBUS NOSTRIS

S. R. E. CARDINALIBUS

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum dilectus filius Vincentius Maria de Alteriis, pridem S. R. E. diaconus Cardinalis titulo S. Mariae in Via Lata, litteris sua manu scriptis die 12 martii huius anni, significaverit Nobis se Cardinalatum, quem Nos ei detulimus die undecima decembris anni 1780, deponere constituisse (1), quod aetate ingravescens, viribus animi et corporis debilitatus, non amplius posset eius dignitatis onera sustinere; cumque idem, ne expectatis quidem litteris a Nobis responso datis, quibus eum deterrere a proposito conabamur, se vere e Cardinalatu abdicarit, nec rescripserit ad Nos nisi ut significaret Nobis a se vere ac solemniter dignitatem Cardinalatus fuisse depositam, ac deinde silentio suo, iis mensibus qui abdicationem eius consecuti sunt, nullam spem fecerit se eam esse revocaturum, ob eamque causam nullus amplius Nobis dubitandi sit locus quin is plane et ex perseveranti animi sui sententia ea se dignitate spoliaverit: propterea Nos, auxilio divini luminis implorato, ac diu multumque meditati quid in

(1) Documentum istud uti et praecedens edidit Petrus Baldassarri in Opere, *Relazione delle avversità e patimenti di Pio VI etc. Modena 1842 T. 3 pag. 124–128.* Ibi etiam *(lib. 2 pag. 58 seq.)* historiam narrat harum abdicationum earumque miserabiles causas: atque una simul renunciantium ipsorum poenitentiam, humilemque veniae petitionem *Tom. 3 pagg. 74. 93.*

hac causa fieri a nobis oporteret, cognito etiam venerabilium Fratrum, ac dilectorum Filiorum Nostrorum consilio, quos aut alloqui coram, aut per litteras consulere potuimus, cum iustissimis de causis statuerimus abdicationem hanc a nobis esse admittendam, ut quae per eam Vincentius Maria de Alteriis conficere voluit, vim suam omnem habere possint: auctoritate omnipotentis Dei, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, abdicationem dilecti filii Vincentii Mariae de Alteriis e cardinalatu admittimus solemniter atque acceptamus. Tum Vincentium de Alteriis omnibus cardinalatus oneribus liberatum, diaconia, honoribus, appellatione, insignibus, privilegiis, praeeminentiis, iuribus quovis modo ad cardinalatum spectantibus, et praesertim vocis activae et passivae in electione Summi Pontificis omnino spoliatum ac destitutum, sacramenti obligationibus solutum declaramus: ita ut Vincentius Maria de Alteriis, pridem S. R. E. Cardinalis diaconus titulo S. Mariae in Via Lata, deinceps censeri debeat perinde ac qui diaconi privati sunt censeri solent. Vos itaque, venerabiles Fratres, ac dilecti Filii Nostri, ex hac die Vincentium Mariam de Alteriis, diaconum, non amplius in collegio vestro recensebitis, eumque omnibus honoribus, praerogativis et iuribus ad cardinalatum quovis modo spectantibus destitutum prorsus atque spoliatum iudicabitis: ita enim de plenitudine potestatis Nostrae decernimus atque praecipimus, vobisque apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum ex coenob. Carthusian. prope Florentiam, die VII Septemb. MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

LVI.
EPISTOLA

R. P. D. MICHAELIS DI PIETRO

Episcopi Isaurensis Delegati Apostolici in Urbe.

Dubia ab Illustr. et Reverend. Dominatione tua Summo Pontifici Pio VI proposita nuper ad me perlata fuere ut ea diligenter expenderem, Tibique S. Sedis Apostolicae sententiam aperirem. Igitur Apostolica, qua fungor auctoritate, a Sanctitate Sua mihi delegata, brevem atque perspicuam eorundem dubiorum solutionem exposui, quam Tu, Illustr. Dom., ex adiuncto folio comperies. Tali pacto desiderio tuo cumulate, ut arbitror, satisfeci, ac nihil iam superest, nisi ut alias exoptem opportunitates Tibi inserviendi, dum interim cultu et aestimatione singulari maneo,

Illustr. et Reverend. Dom. Tuae

Romae VII Cal. Octob. MDCCXCVIII.

Ded. et Obseq. servus
Mich. de Pedro, Episc. Isaurensis,
Deleg. Apost.

Superscriptio
Illustr. ac Reverend. Dom. Dom. Col.
Dom. Episc. Grassensi etc.

Tria proponuntur dubia ab Episcopo Grassensi.

Primum, utrum ab Apostolica Sede damnatum fuerit odii in regiam maiestatem sacramentum, quod sic exprimitur: *Ego Sacramentum odii in regiam maiestatem et anarchiam profiteor, simulque voveo obsequium et fidem in Rempublicam, nec non in Constitutionem anni 3.* Gallico idiomate: *Je jure haine à la Royauté et à l'anarchie; attachement et fidélité à la République et à la Constitution de l'an 3.*

2um. An in hypothesi condemnationis, assermentati, ut aiunt, retractare teneantur, pro observatione iudicii, Sacramentum professum, et quomodo agere debeant in praedicta retractatione.

3um Utrum praedictum Sacramentum quadam censura notandum decreverit Sanctitas Vestra in iudicio suo.

Quibus dubiis, auctoritate a SS. Pontifice Pio VI mihi specialiter delegata, sequentem in modum respondetur.

Ad 1um ab Apostolica Sede declaratum fuisse, non licere praefatum iuramentum emittere.

Ad 2um eos, qui tale iuramentum emiserunt, ad illud retractandum teneri, simulque ad scandalum reparandum meliori modo, quo fieri poterit, pro temporum locorumque opportunitate.

Ad 3um nullam hucusque censuram ab Apostolica Sede latam fuisse adversus eos, qui eiusmodi iuramentum emiserunt.

Romae die XXIV Septembris MDCCXCVIII.

Sign. *Mich. de Pedro,* Ep. Isaurensis,
Deleg. Apost.

LVII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

NUNTIIS ET DELEGATIS NOSTRIS APOSTOLICIS

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quam calamitosa sint Ecclesiae tempora quantisque tempestatibus christiana res universa iactetur, non opus est commemorari a Nobis, Ven. Fratres. Vos vi-

*

detis ipsi, ipsique experti fatemini, numquam antea ex inferorum portis contra morum sanctitatem, contra ecclesiasticam disciplinam, contra sanctam Apostolicam Sedem eiusque non temerandam auctoritatem, contra catholicam religionem universam aut graviores aut periculosiores procellas fuisse excitatas. Itaque Nos ipsi, qui a Sede principe Romanae Ecclesiae eiecti, patrimonio S. Petri spoliati, distracti a Filiis Fratribusque Nostris carissimis, atque in hoc exilio vivere coacti, confortante Nostram infirmitatem Deo, gravissimas aerumnas Nostras aequo animo ferimus, tantam iurium omnium cum divinorum tum humanorum conculcationem, tam luctuosa animarum Nobis commissarum exitia ferre sine magna animi Nostri perturbatione non possumus.

Quare urgente Nos Ecclesiarum omnium sollicitudine, nil tam vehementer postulamus a Domino, quam ut gravata potenti manu super Nos, etenim et humiliamur sub ea et in flagella parati sumus, Ecclesiam suam iacentem respiciat, neque patiatur tam multas animas pretio Sanguinis sui redemptas in ruinam atque in exitium vocari. Atque utinam dum augentur in dies Ecclesiae calamitates, aditus ad S. Sedem Apostolicam non intercluderetur Episcopis ad opem ac medicinam tantis vulneribus postulandum! Verum tot undecumque periculis imminentibus, cum nihil magis impeditum sit, quam aut accedere ad Nos, aut etiam per litteras S. Sedem Apostolicam consulere, hinc fit, ut dum Ecclesia maioribus auxiliis indiget, vix minima a Nobis ope iuvari possit.

Cum igitur tantis iis rei christianae universae necessitatibus consultum maxime velimus, propterea ne, impedito Episcoporum ad S. Sedem accessu, greges ipsis commissi iis auxiliis destituantur, quae ab ea solum possunt suppeditari; et ut Episcopi ea potestate

non careant, quae in eos a Nobis manare debet, et sine qua gregibus suis tantis in periculis nullo modo possunt subvenire, vos Ven. Fratres, qui Nuntii Nostri apud Principes estis, et ad ea expedienda quae a Nobis constituta sunt Delegatos Apostolicos per has litteras Nostras creamus, iis omnibus facultatibus quas in subiecto catalogo adscriptas legetis ita munitos volumus, ut non solum iis uti vos ipsi, verum etiam prout in Domino vobis expedire videbitur, Nostro nomine sive omnes, sive aliquam ipsarum partem possitis Episcopis petentibus elargiri.

Illudque speramus, cum tam perspecta sit Nobis fides, pietas, doctrina tum vestra tum ceterorum Episcoporum, tamque exploratum conservandae ecclesiasticae disciplinae studium, vos non improvidos dissipatores, sed cautos et religiosos distributores facultatum apostolicarum fore; ita ut numquam eas impertiamini, nisi cum rationes et causae fuerint huiusmodi, ut omnino eae sint impertiendae, illud semper ante oculos habentes, momenta rationum et gravitatem causarum fundamenta esse, quibus inniti potissimum apostolicae concessiones debent.

Nolite igitur, Ven. Fratres, quos in curarum Nostrarum partem vocatos, delegimus cooperatores Apostolatus Nostri, in navanda opera Ecclesiae defatigari: non enim solum magna sollicitudine Episcopos liberabitis.... (1) moerorem Nostrum. Nihil enim tantopere valet ad consolandos Nos, quam videre etiam in hac laboriosissima vitae conditione, in quam Deo sic permittente redacti sumus, aliqua ratione Ecclesiae prodesse posse.

Rogamus interea D. N. Iesum Christum, ut quod per ministerium vestrum facere constituimus, id in Ecclesiae bonum et in animarum utilitatem vertat:

(1) Ita in exemplo, quod prae oculis est. Desunt aliqua verba, fortasse haec: *verum etiam levabitis*.

vobisque Apostolicam Benedictionem paterni animi Nostri pignus peramanter impertimur.

Datum ex Coenobio Carthusianorum prope Florentiam Kalendis Octobris MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

LVIII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Gallis Londini commorantibus

Arthuro Richardo Archiepiscopo Narbonensi, — Ioanni a Deo Raymundo Archiepiscopo Aquensi, — Ludovico Francisco Episcopo Attrebatensi, — Iosepho Francisco Episcopo Montispessulani, — Ioanni Francisco Episcopo Leonensi, — Emmanueli Aloisio Episcopo Petrocorensi, — Petro Augustino Episcopo Abrincen.— Henrico Benedicto Episcopo Ussetien.— Augustino Renato Episcopo Trecorensi, — Seguelo Episcopo Ruthenensi, — Carolo Eutropio Episcopo Nannetensi, — Philippo Francisco Episcopo Ergolismensi, — Antonio Eustachio Episcopo Cenvenarum, — Ludovico Mathiae Episcopo Trecensi

Pro Christo in Gallia exulantibus.

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Constantiam Vestram in Ecclesiae unitate tuenda, tantisque in laboribus ob catholicam Fidem perferendis et universus terrarum orbis suspexit, et Nos, pro Pastorali apostolatus Nostri munere, non uno, sed pluribus paternae sollicitudinis Nostrae testimoniis sem-

per confirmandam curavimus. Nullae siquidem Litterae a Vobis pervenerunt ad Nos, quibus non ita semper responderi iusserimus, ut intelligeretis simul, et quo loco haberemus admirabilem virtutem Vestram, et quanto dolore afficeremur ob gravissimas aerumnas, quibus iactabamini, et quam vehementer solari Vos, atque in virtute D. N. Iesu Christi confortare, atque erigere animos Vestros studeremus. Quam significationem paternae charitatis, qua Vos, ceterosque invictos Fidei confessores Venerabiles Fratres Nostros semper complexi sumus, si antea dedimus Vobis, multo nunc magis, ad consolandos, ac confirmandos animos Vestros dandam censemus, cum videamus Vos magnitudinem, ac diuturnitatem aerumnarum Vestrarum oblitos tanto in moerore metuque versari propter eas, quibus Deus, per summam misericordiam suam, ad salutem Nostram operandam in Nobis, dignos Nos habuit (1). In quo tamen si de Ecclesiae periculo in periculo Nostro timetis, laudamus Nos quidem sollicitudinem Vestram, sed simul tribulationis vim, qua pressi estis, agnoscimus, quae facit ut cum tot Dei promissis Ecclesiam numquam defecturam, semperque in tribulationibus florentiorem futuram sciatis, vacui tamen metu de illius periculo in discrimine Nostro esse non possitis. Si vero quae Nos ipsi patimur, sollicitos habent Vos, propter eam aegritudinem, qua animum Nostrum in hoc exilio confectum arbitramini, grati Nos quidem sumus charitati in Nos Vestrae, verumtamen Vos cum Apostolo obsecramus: « Ne angustiemini in Nobis, nec deficiatis in tribulationibus Nostris; » fieri enim non potest, ut quamvis tot adversa feramus, ulla animi aegritudine conficiamur, scientes nulla alia in re tantam gloriam inesse, quan-

(1) Vide in Appendice huius tomi epistolam Episcoporum, quibus hic respondet Pius VI.

tam his in laboribus, quibus Deo sic permittente iactati sumus.

Neque vero cum gloriam dicimus, eam dicimus, quae est illis promissa a Deo, qui ab hominibus eiecti, spoliati, exprobrati, maledicti propter nomen Christi persecutionem patientur, qui, ne capillo quidem capitis deperdito, copiosam mercedem possidebunt in caelis: neque illam, quam eos manere scitis, quorum vita nunc reputatur insania, et finis sine honore, qui tamen inter sanctos sortem habebunt, et inter filios Dei computabuntur; verum eam gloriam dicimus, qua hoc ipso tempore cumulamur a Deo, dum tot his aerumnis ac contumeliis perferendis spectaculum mundo, Angelis, et hominibus facti sumus pro Christo.

Nam sive ad corripiendos et castigandos Nos supra caput Nostrum ita gravata sit manus Domini, quid hac tribulatione gloriosius Nobis? Qui etsi iuste pro peccatis nostris affligimur, per ea tamen quibus affligimur, et amari a Deo, et licet peccatores simus, tamen a Patre misericordiarum amantissimo tamquam filios haberi cognoscimus, cum dicat Apostolus: « Quem diligit Deus, flagellat, castigat; flagellat autem filium. » Sive per tentationem hanc, qua sic exerceri permittit Nos Deus, experiri velit fidem, et perseverantiam Nostram, quanta haec item gloria Nostra est? Cum per tentationem hanc etiam vel in hac Nostra indignitate sperare possimus non despectos, sed acceptos Nos esse Deo, cum illud legamus: « Sicut in igne probatur aurum, sic homines accepti in fornace tentationis (neque id eo consilio, ut in tentatione deficiamus); sed ut probatio Nostrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur. »

Hac cogitatione, Venerabiles Fratres, ita mirifice et consolatur, et corroborat infirmitatem hanc Nostram Deus, ut non eas solum quas ferimus, sed multo et-

iam maiores tribulationes perferre desideremus, dummodo et propter iustitiam, et propter Christum eas perferre debeamus, et tot hisce laboribus non ad animae Nostrae interitum, sed ad emendationem ac probationem Nostram, tamquam Filii Deo non despecti, exerceamur.

Quod si non peculiare Nostrum tantummodo, sed commune etiam Ecclesiae bonum consideremus, deest ne Nobis quo ad eas calamitates non solum in omni patientia, verum etiam gaudio et gratiarum actione sustinendas animos Nostros erigamus? Non ii vos estis, Venerabiles Fratres, qui docendi a Nobis sitis, quam alienis atque adeo quam abhorrentibus ab humana ratione consiliis, ad demonstrandam omnipotentiae suae vim, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, Ecclesiam suam constituerit, eamque ad hanc, quam miramur, amplitudinem auxerit. Scitis sane ut a Cruce, atque a suppliciis initia, a contumelia gloriam, ab errorum tenebris lucem, ab oppugnatione incrementa, a iacturis ac cladibus stabilitatem eam voluerit habere, ut numquam ea magis gloriosa fuerit, quam cum minus gloriosam eam efficere homines sunt conati; numquam magis secura, quam cum vehementioribus persecutionum procellis periculosius fuit ab inimicis suis agitata. Quam ob causam merito Noemicae illi Arcae a sanctis Patribus comparatur, quae eo securius super naufragantis orbis unda assurgebat, quo furentioribus imbrium ac ventorum viribus obrui, demergique videbatur. Nostis etiam quemadmodum ea continenter per annos trecentos vexata, facultatum rapinas, contumelias, carcerem, catenas, exilia, cruces, flammas, carnificinas perpessa, Pontificum fere omnium, Episcoporum, ac Martyrum infinitorum sanguine cruentata, fide, patientia, mansuetudine sua tyrannorum crudelitatem delassaverit, superstitionem

deleverit, et a mari usque ad mare Crucis gloriam victrix propagarit, eosdemque Religionis fines, ac orbis terrarum fecerit. Fides Ecclesiae, scripsit S. Ambrosius, neque in gladio suo feras expulit nationes, neque certamine bellico turmas fugavit hostiles, sed mansuetudine et fide terras inimicorum possedit. Fides enim sola pugnavit; ideo triumphos meruit, quia persequutionibus non vincitur Ecclesia sed augetur.

Quae primis temporibus ad Ecclesiam auspicandam ac propagandam facta sunt, eadem ad ipsam ornandam atque amplificandam consequentibus subinde annis scitis accidisse. Nota omnibus sunt sacrilega illa contra Ecclesiam bella haereticorum, notae execrabiles immanitates, nota odia, impetusque illi acerrimi, quibus eius unitatem dissolvere, integritatem violare, maiestatem minuere acerbissimi illi hostes conati sunt, a quibus profecto, si ullis hominum, aut inferorum dolis, ac viribus Ecclesia posset exscindi, omnia exitia ei fuissent metuenda. At vero quantanam parte suorum ornamentorum nunc careret Ecclesia, si illa teterrima bella, illae acerrimae contentiones ad eam convellendam non exstitissent? Tunc etiam ferro, flamma, vinculis, rapinis, proscriptionibus, suppliciis cum in catholicos universos, tum praecipue contra sacerdotium saevitum est. Quid tum? Quid proficere contra Ecclesiam eiusque doctrinam acerbissimi hostes potuere? Quantum decus ex tot confessorum constantia? Quanta lux ex tot doctorum sapientia accessit Ecclesiae? Tanta nimirum, quanta numquam accessisset, nisi contentiones illae ad eam obscurandam fuissent excitatae. « Pugnarunt contra Ecclesiam haeretici (verba noscitis S. Augustini), et Ecclesiam quaestionibus agitaverunt. At aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei. Multi qui poterant Scripturas dignoscere, et pertractare, latebant in populo, nec

afferebant solutiones quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid de Trinitate perfecte tractatum est antequam oblatrarent Ariani? Numquid de poenitentia perfecte tractatum est antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est antequam contradicerent foris positi rebaptizantes; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant, quae dicta sunt, nisi postquam separatio illa urgere coepit fratres infirmos, ut iam illi qui noverant haec tractare, ac dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati sermonibus, et disputationibus impiorum, sermonibus, et disputationibus obscura legis in publicum deducerent » (1).

Quorsum, venerabiles Fratres, haec ad Vos scribimus? Non certe ut doceamus Vos, quorum cum constantiam et fidem, tum praecipue sapientiam singularem semper mirati sumus, sed ut rerum tam admirandarum recordatione cum Vos, tum Nosmetipsos consolemur, simulque ut omni moerore deposito ex tot adversis quae patimur, ea Nobis etiam bona polliceamur, quae in Ecclesiam semper sunt ex adversis profecta; eaque tanto Nobis ampliora atque uberiora polliceamur, quanto gravior acerbiorque tribulatio haec est, quam ceterae ullae fuerint, a quibus novimus iactatam olim Ecclesiam fuisse ac perturbatam.

Quamquam vero quid de futuris Ecclesiae bonis cogitamus, cum iam praesentibus perfruamur? Anne vero adeo parva, aut pauca istaec bona sunt, ut ea iam cognoscere nequeamus? Profecto si nihil aliud ex hisce laboribus, quibus premimur, consecutam iam esse Ecclesiam videremus, nisi quod in tanto hoc rei christianae motu Evangelica illa (quae tamdiu ad eius securitatem a bonis omnibus desiderabatur) zizaniorum

(1) S. Augustin. Enar. in psalm. LIV. n. 22 edit. Maur. Antuerp. 1700.

a tritico, palearum a frumento facta sit segregatio, nisi quod manifesti facti sint ei, qui cum intrinsecus essent lupi rapaces, induti pellibus ovium in Ecclesia latebant, et quas insidias ei aperte non poterant, eas occulte machinabantur, quorum malitia ac fraus, nisi haec ipsa mala accidissent, semper inter Nos ad sanctitatem Ecclesiae tentandam, moresque bonorum depravandos occulta latuissent; parva ne Ecclesiae utilitas haec esset putanda?

Quid vero illud, quod ex funestissimis fructibus eius, quibus ferme universus orbis interiit, cognitum est tandem aliquando quod (nequidquam Nobis, Vobisque clamantibus) adhuc ab hominibus cognosci noluit, quid velit, quo spectet, quid propositum habeat sibi perversa illa, quae tam invalescit ac dominatur sapientia, cuius ex beneficiis omnes gentes erraverunt, quae in nomen invadens philosophiae non se religionis virtutisque magistram praebet, quod esset proprium christianae germanaeque sapientiae, sed omnis impietatis, licentiae, cupiditatis, perfidiae, libidinis artifex, omnium calamitatum, dolorum, exitiorum parens ad humana, ac divina quaeque subvertenda sese excogitatam esse patefacit? Quam illa plagam ex ipsa hac Nostra, atque adeo ex hac orbis terrarum universi calamitate accepisse putanda est, cum ex iis tantis luctibus, quibus per eam genus humanum funestatum est, atque in dies gravius funestatur, exitiosa eius consilia innotuerint, et crudeles machinationes sint intellectae?

En cur illae inter ecclesiasticam, et civilem potestatem tot excitatae dissensiones; en cur in suspicionem apud potentes vocata Ecclesiae auctoritas, opes in invidiam, libertas in captivitatem, nimirum ut Ecclesiae praesidiis generi humano subtractis, impietatis trophaea in deflagratae Religionis cineribus, si fieri

posset, ad perditionem orbis terrarum universi constituerentur.

Quid quod dum qui ex Nostris non erant, omni simulatione deposita, non modo se a Nobis segregaverunt, sed etiam characterem bestiae in frontibus suis praeferentes cum Agno pugnaverunt, bellumque acerbissimum contra Ecclesiam gesserunt; ceteri quorum nomina scripta sunt in libro vitae, ita ad omnem sanctitatem exarserunt, ut ne tunc quidem cum temporibus pacatissimis uteretur Ecclesia, tam aperta in christianis gregibus Religio, tam firma fides, tam inflammata charitas fuerit umquam perspecta? Quod cum de gregibus Galliae universis, tum etiam de ceteris, ac praecipue de Romano Nostro non sine magna animi iucunditate audimus, qui (ut S. Ioannes Chrysostomus in primis illis temporibus meminit accidisse) etiamsi Pastoribus suis spoliati fuerint, tamen ob eam fidem, qua se probaverunt Ecclesiae, Deo in custodiam ipsorum vigilante, carere Pastoribus suis nullo modo sunt visi. « Versutus diabolus, et ad struendas aptus insidias existimabat, si Pastores sustulisset, Ovilia se facile direpturum; sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, verum eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fieri permittebat, ut cum cerneret Rectoribus sublatis non tamen Ecclesiam deleri, nec veritatis praedicationem extingui, sed potius augeri; ex rebus ipsis et ipse, et qui ei inserviebant omnes intelligerent, christianam disciplinam non ab hominibus pendere, sed in caelis radices agere, Deumque esse, qui Ecclesiam ubique tueretur. »

His igitur tam praeclaris bonis cum Nos vel in ipso persecutionis aestu tanta cum Dei gloria ita auctam videamus Ecclesiam, quid de ea sperandum erit, cum sedatis tempestatibus tempus tranquillitatis, ac

miserationis advenerit? Cum perpurgata ventilabro Dei, tribulationis igne probata, tot admirandis Vestris, ac venerabilium fratrum Nostrorum Cardinalium triumphis nobilitata (1), fide, constantia, sanctitate tot

(1) Hoc in loco sex illi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales a Summo Pontifice innuuntur, quos primos hostilis vis occupavit, et Romae detinuit die 8 mensis Martii anni 1798, de quibus idem ita die 26 eiusdem mensis, sub datum *Senis* apud Beatam Mariam Virginem in caelo assumptam, scripsit *Andreae Minucci* Archiepiscopo *Firmano*. *Il tempo corrente esige fermezza e coraggio, e sei Cardinali presi in ostaggio, e poi trasportati in Civita Vecchia lo hanno dimostrato, e lo dimostrano, abbenchè non sappiano quale sarà il loro destino, ma sono da tutti i savi applauditi e stimati.* Cardinales nempe fuere *Leonardus* Episcopus *Praenestinus* S. R. E. Cardinalis *Antonelli Senogalliensis* Signaturae Iustitiae Praefectus, *Ioseph* S. Petri in Vincula Presbyter Cardinalis, *ab Auria Ligur* a Secretis Status, *Stephanus* S. Clementis p. c. *Borgia Veliternus* S. C. Indicis Praefectus, *Aurelius* SS. Ioannis et Pauli p. c. *Roverella Ferrariensis* Datarius, *Iulius Maria* S. Sabinae p. c. *de Somaglia Placentinus* almae Urbis Vicarius generalis, et *Philippus* S. Eustachii Diaconus Cardinalis *Carandini Pisaurensis* Boni Regiminis Praefectus, qui *Romae* clausi in Coenobio, vulgo *delle Convertite*, prius evacuato, die 10 mensis eiusdem sub noctem una cum *Carolo Crivelli Mediolanensi* Archiepiscopo *Patracensi*, Praefecto Urbis, *Iulio Sperandini Aesino* Camerae Commissario, et *Paulo Virganio Mediolanensi* Commercii Adsessore, *Centumcellas* traducti fuere, et diligenti custodia in angusto Fratrum Praedicatorum Coenobio detenti usque ad diem 28, qua libertate donati ea conditione, ut iter maris capesserent, quod forti animo omnes fecerunt (exceptis Praesulibus *Crivelli* et *Sperandini*, quibus permissum fuit ad propria redire), licet periculosa nautis videretur navigatio, et mare adversa tempestate iactaretur, et exiguae admodum essent cymbae, quibus se committere cogebantur. Sed Dei pietas praesto fuit illis per discrimina et aerumnas, omnesque ad littora *Hetruriae* incolumes conduxit. Idem contigit etiam *Ioanni Andreae S. Eusebii* Presbytero Cardinali *Archetti Brixiensi*, et Episcopo *Ausculano*, qui die 22 eiusdem Martii *Centumcellas* ductus fuit, atque inde versus *Neapolim* solvit, cui se socii iunxere Praesules, atque utriusque Signaturae Referendarii, nec non Protonotarii Apostolici, *Franciscus Celano Neapolitanus* Sanctae Domus et Civitatis *Laureti* Praefectus, et *Settimius Hono-*

Episcoporum, tot Ecclesiasticorum, tot sacrarum Virginum, tot Coenobitarum, tot denique christianorum illustrata Dei gloriam erit operatura? Praesertim cum exercitatione virtutis refrigescens in mundo charitas christianorum ita sit per tribulationem inflammata: philosophiae pravitas ex perniciosis suis fructibus ita sit refutata: Religionis sanctitas ex admirandis suis virtutibus ita sit illustrata: probatorum fides haereticorum contentione ita manifesta sit facta?

Haec igitur miserationis, ac pacis tempora, vene-

rati Aesinus Ausculi Piceni Praefectus, ceteris Praesulibus atque utriusque Signaturae Referendariis *Iacobo-Carolo Borromeo Patavino* Protonotario Apostolico, atque Provinciae *Maritimae et Campaniae* Praeside, *Iulio Caesare Gymnasio Romano Sabinae* Praeside, *Pio Pucceti Cingulano* Protonotario Apostolico, *Spoleti* Praefecto, *Angelo-Aloisio Nuzzi Romano Reatis* Praefecto, nec non *Ioanne Barberi* Procuratore Fiscali Camerae, et *Paulo Virganio*, de quo supra, idem maris iter *Hetruriam* versus tenentibus. Sed non ii tantum septem Cardinales fuere, qui pro Sancta Ecclesia Dei aerumnis et angustiis claruere, quique pro eius honore permultis vexationibus sese subiecere, et non invito animo ecclesiasticis suis reditibus spoliari passi sunt, cum et alii exstiterint, qui eodem spiritu animati generose fortiterque omnia tolerarunt, quos inter numerare placet *Ioannem Franciscum* Episcopum *Ostiensem et Veliternum* S. R. E. Cardinalem *Albani* Urbinatem, Sacri Senatus Decanum, *Alexandrum* S. Mariae in Ara Caeli p. c. *Mathaeium Romanum*, et Archiepiscopum *Ferrariensem*, qui prius *Brixiae* carcere claustrali dudum detentus, ad suam Ecclesiam remissus, quum nec opinaretur, ab ipsa iussus fuit exulare, *Ignatium* S. Mariae Angelorum p. c. *Busca Mediolanensem* Praefectum Congregationis Disciplinae Regularis, et *Ioannem Siffridum Sanctissimae Trinitatis ad Montem Pincium* p. c. *Maury Venoisinum*, Archiepiscopum et Episcopum *Montis Phisconis* qui multis angustiis coactus a sua Ecclesia recedere, vitae tandem suae tuto consuluit. Ipsissima quoque evenerunt Praesuli *Herculi Consalvi* Romano, et Sacrae Rotae Auditori. Alios etiam S. R. E. Cardinales, et Praesules recensere nostrum esset, qui post Pontificis Epistolam labores doloresque fortiter subierunt. Sed non patitur adnotationis brevitas, nec ad finem nobis propositum id spectat. (*Nota Edit. D. Huloth an. 1799 pag. 308*).

rabiles Fratres, in omni spe, fide, et humilitate cordis Nostri orantes sine intermissione, adprecemur Ecclesiae. Et quamvis certissimum sit, tantos eam efficere in tribulatione proventus, tantisque victoriis augeri, quantis augeri extra tribulationem nullo modo posset, tamen ne dum ea fortium suorum triumphis laetatur, infirmorum cladibus atque exitio contristari debeat, qui cum extra tentationem positi, de futuris periculis nihil cogitantes, se contra diaboli aggressiones munire noluerint, ac mundo quam Deo servire maluerint, in tentationis aestu licentiae dominantis impetu abrepti, evanescentes in cogitationibus suis defecerunt a Deo, animasque suas proiicientes satanae se tradiderunt; rogemus misericordiarum Deum, ut propter Christi filii sui sanguinem, qui pro omnibus effusus est, abbrevientur dies tentationis Nostrae. Nam quamvis in investigabilibus sapientiae et iustitiae Dei consiliis, quibus gloriam suam operatur, Nobis omnino sit acquiescendum; tamen inter cetera omnia Ecclesiae vulnera, haec potissimum illa sunt, quae diu, noctuque excruciant Nos, et sollicitum habent animum Nostrum, ita ut acerbissima quaeque pati, animamque ipsam Nostram ponere parati essemus, si per sanguinem Nostrum tot praevaricantium exitia avertere, tot infirmorum offensionibus iacturisque providere possemus.

Plura quidem essent, quae ad confirmandos animos Vestros, venerabiles Fratres, Vobis haberemus dicenda, sed praeterquam quod modum epistolae excedere nolumus, ea est enim iam satis progressa; tanta est virtus Vestra in hac tribulatione perferenda, ut non Nostra a Vobis, sed a Nobis atque ab omnibus Vestra fidei exempla, constantiae, ac sanctitatis exempla sint petenda. Itaque finem faciemus cum S. Ioanne Chrysostomo, qui in simili causa cum esset, ac pari tribulatione pro Ecclesia premeretur, iis verbis fidem,

ac constantiam praeferentibus, moerentem, ac pavitantem gregem suum est consolatus: « Multi fluctus urgent Nos, gravesque procellae; sed non timemus ne submergamur, nam in petra consistimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit. Insurgant fluctus, Iesu navigium demergere non possunt. Quid quaeso timeamus? Mortem ne? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* An exilium, dic mihi? *Domini est terra, et plenitudo eius.* An facultatum publicationes? Nihil intulimus in hunc mundum, certumque est nos nihil efferre posse; terribiliaque eius mundi mihi despectui sunt, et bona risu digna. Non paupertatem timeo, non divitias concupisco: non mortem metuo, non vivere opto, nisi ad profectum vestrum. Ideo praesentia commemoro, rogoque charitatem vestram, ut fiduciam habeat. Nullus quippe Nos separare poterit. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Si nuptias non potes dirimere, quanto minus Ecclesiam Dei potes dissolvere? Sed eam oppugnas, cum nihil possis laedere eum, quem impetis, verum me reddis splendidiorem, tuamque vim mecum pugnando deiicies. Durum namque tibi est contra stimulum acutum calcitrare. Non obtundes stimulos, imo sanguine pedes inficies, quandoquidem fluctus non petram dissolvunt, sed ipsi in spumam dissolvuntur. Nihil Ecclesia potentius, o homo; bellum solve ne robur dissolvas tuum. Ne inferas caelo bellum. Si homini bellum inferas, aut vinces, aut superaberis. Si ecclesiam oppugnes, vincere nequis; omnibus quippe fortior est Deus. *An aemulamur Dominum?* An fortiores illo sumus? Deus fixit, et firmavit, quis concutere tentaverit? Non nosti virtutem eius? *Respicit terram, et facit eam tremere.* Imperat, et quae concutiebantur, firma consistunt. Si concussam urbem firmavit, multo magis Ecclesiam firmare poterit. Ecclesia est ipso caelo fortior. *Caelum et terra transibunt, verba autem*

mea non transibunt. Quae verba? *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* » (1).

Quod de novis pietatis testimoniis scripsistis, venerabiles Fratres, quibus clementissimus Angliae Rex ornare Vos pergit, gratissimum Nobis est, qui per eas litteras, quas ad singulos Vestros dari iussit, significavit Vobis, se ea lege, qua peregrini omnes ex Anglia exire iussi sunt, exemptos Vos velle (2). Quod testimonium honorificentissimum ab humanissimo Rege tributum fidei, ac sanctitati Vestrae, si Vobis qui accepistis tam gloriosum est, quanto illi magis, a quo Vobis est datum? Quo etiam vehementius laetati sumus. Cui Regi quidem cum pro maximis beneficiis, quae in Vos contulit, eam gratiam quam habemus, referre nullo modo possimus, Deum remuneratorem rogamus, ut ipse pro sua largitate referat. Quod si impetramus, nihil erit amplius, quod ad summam Principis clementissimi, eiusque regni universi felicitatem a Nobis, Vobisque optari possit.

Valete, venerabiles Fratres, et clarissimis exemplis virtutis Vestrae una cum ceteris fratribus disperditis, et in tribulatione positis Ecclesiam Dei ornare pergite, ad quos etiam si has litteras Nostras miseritis, gratissimum Nobis erit. Eo enim animo scripsimus, ut per eas non Vos solum, sed illos etiam con-

(1) Hom. ant. exil.

(2) Id factum fuit ob tumultus a reipublicae fautoribus hoc anno in Hibernia excitatos. Uti gratissimum monumentum aequitatis atque pietatis, qua erga exulantes pro Christo Episcopos Galliae usus est Angliae Rex, nec non prudentiae omniumque virtutum, quibus isti de suis hospitibus tam bene meriti fuerunt, placuit in Appendice huius tomi referre epistolam ab Angelo Duce Portland eiusdem Regis nomine datam ad memoratos Episcopos; quae prostat in Collectione Guillon edit. Parisiis an. 1798 in Supplemen. pag. 65.

fortare ac consolari desideremus. Omnes enim in sinu gerimus; omnibusque pacem, et gaudium a Domino Nostro Iesu Christo adprecamur, et apostolicam benedictionem pignus paternae charitatis Nostrae amantissime impertimur.

Datum ex Coenobio Carthusiano S. Cassiani prope Florentiam, sub annulo Piscatoris, die X Novembris MDCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIUS, qui supra.

Ioseph Marotti SS. Domini Nostri ab Epistolis Latinis.

LIX.

PII PAPAE VI.

DE SUCCESSORIS SUI ELECTIONE CONSTITUTIO ALTERA (1).

Pius Episcopus, Servum Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quum Nos, superiori anno, invalescente in dies inimicorum Nostrorum potentia, eum in locum Romanam Ecclesiam adductam videremus, ut omnia Nobis metuenda essent quae ad eius libertatem extinguendam pertinerent, nihil tam vehementer pertimuimus, quam ne, vacante post obitum Nostrum Sede Apostolica, impeditis per vim aut perturbatis comitiis quae de Successore Nostro eligendo futura sunt, aut impossi-

(1) Altera haec constitutio edita fuit rogantibus nonnullis Cardinalibus, et Episcopo Michaele De Petro, qui Romae Apostolici delegati munere fungebatur. His enim prior eadem super re edita constitutio sufficiens non videbatur, postquam Pius VI abductus fuerat in captivitatem, et graviora contra eum ab inimicis erant expectanda. Ita narrat Petrus Baldassarri (quod superius pag. 144 citatum est) tom. 3. pagg. 51-141-150.

*

bilis omnino ratio novi creandi Pontificis redderetur, aut saltem tantae rei celeriter expediendae infinita impedimenta opponerentur. Itaque, ut huic periculo qua ratione per Nos fieri poterat occurreremus, per alias Nostras litteras sub plumbo datas, III Cal. Ianuar. Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio, decrevimus ut esset penes arbitrium maioris partis Cardinalium qui praesentes essent, eum in locum ad Pontificem eligendum convenire qui iis opportunior videretur, iisdemque potestatem fecimus sive protrahendi sive contrahendi, si id opus esset, spatium decem dierum a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris, ac praesertim a B. Gregorio X constitutum, quod a Pontificis obitu ad ingressum in Conclave intercedere debet, haud derogantes tamen ulla ex parte ceteris caeremoniis atque solemnitatibus quae per eorundem Pontificum Constitutiones in electione Romani Pontificis praescribuntur. Nec vero Nos inani malorum impendentium formidine perculsi fueramus: siquidem multo graviora ac detestabiliora contra Romanam Ecclesiam eiusque libertatem fieri vidimus, quam illa essent quae a Nobis metuebantur. Venerabiles enim Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, ad quos privativa Romani Pontificis spectat electio, vel Urbe expulsi, vel in carcerem coniecti, vel alii alium in locum deportati, patrimonium B. Petri direptum, bona ecclesiarum divendita, monasteria, expulsis regularium familiis, in profanos usus conversa, ipsa quoque disciplina Ecclesiae perturbata, nec sacerdotii conculcata immunitas solum, sed etiam auctoritas circumscripta libertasque sublata; Nos vero ipsi, qui B. Petri patrimonii vindices atque custodes constituti sumus, et meritis licet imparibus, ita Domino volente, universae Christi Ecclesiae praesumus, eiusque vices, tamquam B. Petri successores, in terris gerimus, et sacerdotii

violata iura defendere ac tueri debemus, ex Romana Sede eiecti, et in alienas terras commigrare compulsi, atque hoc in Carthusianorum coenobio detenti, nec per apostolicam auctoritatem tanta mala impedire, nec reclamare contra tantam cum humanorum tum divinorum iurium conculcationem possumus, quin vereamur ne, ob tantam hominum impietatem ac vim, graviora exinde mala in Ecclesiam Religionemque universam sint oritura. Non tamen in tantis periculis defuit Ecclesiae suae Deus: praeterquam quod enim tantam firmitatem Venerabilibus Fratribus Nostris indidit, quanta eos praestare necesse erat ad infinitas illas aerumnas alacri animo sustinendas quas subire coacti sunt, ita etiam divino suo auxilio debilem hanc senectutem Nostram sustentavit ac rexit, ut non solum tantis Nos Ecclesiae malis superstites essemus, verum etiam ut caelesti gratia confirmati tantos labores constanter perferre, ac si minus praesentibus, futuris saltem Ecclesiae periculis aliquo modo providere possemus. Quoniam vero ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes sunt accommodandae, quum Nos propter ea nova mala quae contra apostolicam libertatem acciderunt his novem mensibus qui consecuti sunt, videamus ad electionis pericula praecavenda non satis esse posse ea remedia quae tunc per praefatas Nostras litteras praescripta fuere; auctis enim Ecclesiae difficultatibus, novis derogationibus tempora indigent, ne Pontificis electio perturbetur, cum magis quaerendum sit Nobis ut faciliter et celeriter eligatur Romanus Pontifex, quam ut servatis rite caeremoniis et solemnitatibus eligatur, quarum his praesertim temporibus nulla forsan ratio haberi potest; motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in iis tantum comitiis quae de Pontifice eligendo prima post obitum Nostrum fu-

tura sunt, ac etiam in immediate sequentibus, quatenus, quod absit, minime in melius immutatis circumstantiis, et nulla super hoc prolata nova lege, decedat successor Noster, derogatum volumus, et plene atque expresse derogamus non solum iis legibus quae de habendis comitiis in eo loco ubi mortuus est Pontifex constitutae sunt, sed etiam omnibus caeremoniis, solemnitatibus, consuetudinibus quae ad substantiam canonicae electionis minime pertinent, et in Pontifice eligendo servari solent ex praescripto et sanctionibus Romanorum Pontificum, ac praesertim Beati Gregorii X constitutione *Ubi periculum,* edita in concilio generali Lugdunensi, constitutione Clementis V *Ne Romani,* edita in concilio generali Viennensi, constitutione Clementis VI *Licet in Constitutione,* anni MDCCCLI; Urbani VIII *Ad Romani Pontificis,* anni MDCXXVI; Pii IV *In eligendis,* anni MDLXII; duabus Gregorii XV *Aeterni Patris* ac *Decet Romanum Pontificem,* anni MDCXXI; Clementis XII *Apostolatus officium,* anni MDCCXXXII, et Nostra *Christi Ecclesiae,* anni proxime superioris, in iis quae posteriori huic adversantur; simulque Cardinales, tum universos, tum singulos, ab omni sacramenti religione qua se obstrinxerunt ea omnia servandi ac retinendi in Pontificis electione, pro primis tantum futuris comitiis, et quatenus opus sit pro immediate dumtaxat sequentibus, solvimus et solutos declaramus. Quum autem intelligamus quoque plurimum ad celeritatem electionis collaturum, si Cardinales ante obitum Nostrum consilia ineant inter se, deliberentque quaenam expeditior ratio qua et ea fieri quae a Nobis constituta sunt, et futuri Pontificis electio mature ac celeriter haberi possit, quumque apostolicae constitutiones gravissimis censuris eos affectos velint qui, vivente et inconsulto Pontifice, de successore eius eligendo ser-

mones habere ac deliberare audent, ut in constitutione praesertim Pauli IV *Quum secundum;* propterea Nos tam huic constitutioni, quam ceteris huiusmodi derogantes, potestatem facimus Cardinalibus universis ac singulis, etiam viventibus Nobis, sermones habendi, deliberandi, conveniendi de ratione qua facilius possint quae a Nobis provisa sunt exequi atque expedire, ita ut de indicendo comitiorum die, de loco in quem eadem convocanda sunt, de Conclavis clausura, utrum ea servanda an tollenda iudicabitur, de eórum delectu qui ministri in Conclavi sunt designandi, de iis denique omnibus de quibus agi ad maturandam Pontificis electionem necessarium videbitur, ipsis liberum sit colloqui, deliberare et constituere, dummodo in hac deliberandi et constituendi facultate cautum semper maneat ne cui umquam ex Cardinalibus de eo qui Pontifex eligendus erit, nisi post obitum Nostrum, aut convenire aut deliberare liceat. Ceterum, salvis ac firmis conditionibus omnibus quae necessariae sunt in quavis electione canonica Romani Pontificis, tam iis quae ad loci ubi comitia habenda erunt securitatem pertinent, quam illis quae spectant ad electorum libertatem, et ad duas tertias partes suffragiorum eorum qui congregati sint, quibus conveniri in electum debet, excluso item omni ambitu ac simoniae crimine, de quo ne suspicari quidem Nos possumus, praecipimus et mandamus ut, ex eo loco unde Nos tantis e vitae laboribus ad aeternam pacem, quam speramus, migrare iustus et misericors Dominus voluerit, quicumque e Cardinalibus aderit, et si plures erunt, eorum dignior, aut, iis omnibus absentibus, nuntius apostolicus, sive, in huius defectu, loci ordinarius, aut praelatus, vel alius quispiam in dignitate ecclesiastica constitutus, quam celeriter de Pontificis obitu certiores Cardinales faciat, ut qui ex iis accedere ad comitia

possunt, statim ad conveniendum se comparent. Et quoniam vi distracti ac dissipati per diversas regiones Cardinales maxime timendum est ne ad libitum discedere, atque in unum locum se conferre prohibeantur, ut vel diu Petri navis praesentibus iactata permagnis fluctibus gubernatore suo careat, vel congregatis hac illac nonnullis Cardinalibus, plures eligantur Pontifices, et schismate, quod Deus avertat, vexetur sancta Dei Ecclesia; idcirco, ut tantis Deo adiuvante occurramus calamitatibus, simili motu proprio ac certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine decernimus, statuimus et mandamus ut, eveniente extra Romanam Curiam obitu Nostro, ius eligendi Summum Pontificem per eos Cardinales unice exerceatur qui in ditione alicuius catholici principis plures numero, quam alii ulla alia in regione commorantes inveniantur, simulque per eos qui ex aliis regionibus ad comitia in praedicta ditione explenda accesserint. Ob eandem causam volumus ut de more Cardinalis sacri collegii Decanus, si tamen is in dominatione illa aderit in qua plures numero versantur Cardinales, sive, eo absente, qui potior dignitate inter illos erit, certior factus de obitu Nostro, statim de nonnullorum ex iisdem Cardinalibus consilio, nisi forte pridem cum ipsis statutum fuerit, opportuniorem locum ad habenda comitia constituat, in eumque cunctis ex locis Cardinales omnes, ubicumque degentes, per indictionis litteras evocet, et ad illos qui alibi commorantur de ipsorum pluralitate informandos, nomina mittat eorum Cardinalium qui in ditione eiusdem principis existunt. Quare in virtute sanctae obedientiae praecipimus ut, nisi gravissima intercesserint impedimenta, Cardinales omnes denuntiationis litteris ad comitia evocantibus statim parere teneantur, iisque dumtaxat Cardinalibus qui plures in eodem loco congregati erunt, ceterisque

accedentibus ante peractam electionem, potestatem facimus non solum decernendi per suffragiorum pluralitatem de iis omnibus quae ad Pontificis electionem pertinent, verum etiam, transacto consueto decemdio, Pontificem ipsum, quamvis non expectato ceterorum Cardinalium adventu, libere ac licite eligendi; ita ut qui a duabus tertiis partibus congregatorum Cardinalium electus Pontifex fuerit, is rite electus et vere sit Romanus Pontifex Christi Vicarius, et talis ab universa Ecclesia agnosci atque haberi debeat. Mandamus praeterea ut hae litterae apostolicae voluntatis Nostrae, prima die in qua ad suffragia Cardinales convenerint, palam recitentur, et si qua in re aut interpretatione aut declaratione aliqua indigere videbuntur, id per sententiarum pluralitatem ab iisdem Cardinalibus qui congregati fuerint interpretetur ac declaretur, ita ut quidquid a maiori parte Cardinalium congregatorum constitutum hac ratione fuerit, id habeatur perinde ac apostolica auctoritate esset a Nobis constitutum. Quia vero res de qua agitur tanti momenti est, ut ab ea potissimum et matura Pontificis electio, et catholicae unitatis conservatio, et Ecclesiae tranquillitas pendere videatur, Nos, utentes apostolica Nostra auctoritate, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis, praecipimus ne quis e sacro collegio Cardinalium fas sibi esse quovis praetextu arbitretur his quae a Nobis, per has alteras Nostras litteras, praescripta sunt, animo minus prompto atque obsequenti repugnare; quinimo volumus ut universi singula quaeque servare atque exequi teneantur. Itaque, per viscera misericordiae Dei Nostri, per diffusam in cordibus Nostris Divini Spiritus charitatem, ac per eam sacramenti religionem qua unusquisque in sacrum Cardinalium collegium cooptatus sese obstrinxit tuendi ac defendendi Christi Ecclesiam usque ad

sanguinis effusionem, hortamur tum singulos, tum universos, ut in tanto Christianae Religionis periculo privatis rationibus Dei gloriae et Ecclesiae tranquillitati postpositis, libentibus et concordibus animis in hanc unam curam incumbant ut ne nimium diu Petri navicula, tantis tempestatibus agitata, rectore et gubernatore destituta fluctuare cogatur, ne catholicus grex universus, tot lupis in ovium praedam undecumque irruentibus, per privata studia pastore et custode suo careat, a quo servari et defendi possit: illud sibi persuadentes, se quamvis tot tamque acerbis aerumnis pro Christo in omni patientia et mansuetudine toleratis fidem suam tanta cum gloria probarint Ecclesiae, nulla tamen fidei suae in eam luculentiora documenta esse daturos, quam si concordibus studiis in Pontifice celeriter eligendo illud ostenderint se revera, nulla propriorum commodorum ratione habita, solum Ecclesiae tranquillitati, christiani gregis saluti, orbis terrarum universi periculis prospicere statuisse.

Decernentes praesentes litteras etc.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis *de iure quaesito non tollendo*, ac tam Alexandri III, quam Gregorii X, et Clementis V, ac Pii IV, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum circa electionem Summi Pontificis hactenus editis constitutionibus et ordinationibus quibuscumque etc.

Volumus insuper etc. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum ex coenobio Carthusianorum prope Florentiam, anno Incarnationis Dominicae MDCCIIC, idibus Novemb. Pontificatus Nostri anno XXIV.

LX.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Recte et ex ordine, Dilecte Fili Noster, fecisti, cum defuncto Episcopo Constantiensi Ecclesiae tuae Rothomagensis Suffraganeo illius Ecclesiae administrationem suscepisti, et Vicarios Generales duos constituisti, si id, ut a Metropolitanis fieret constitutum a Nobis fuit per litteras, quas affers datas die 26 Septembris anno 1791. Tametsi enim nec litterarum earum exemplar in tanta rerum perturbatione habeamus, nec eas Nos dedisse recordemur, haud tamen dubitamus, quin ea potestas a Nobis per eas litteras Metropolitanis facta sit, cum tu eam a Nobis factam esse testeris. Si enim facta non fuisset, tunc a te non generalis sed capitularis Vicarius eligendus fuisset.

Quomodocumque autem res se habeat, si dubium aliquid extet, num vero litterae Nostrae eam tibi potestatem faciant, ad omnem controversiam tollendam Nos eam nunc facimus tibi, atque omnia rata habemus, quae a te facta sunt: praesertim cum illud certum sit, Canonicos iuratos cum quibus communicare in divinis non licet, omni potestate carere Capitularem Vicarium eligendi.

De Archidiaconatu vacante in Ardenna quod rogas, si Nobis erit integrum neque adhuc ea Dignitas collata sit, habebitur ratio postulationis tuae.

Tibi vero, dilecte Fili Noster, ut eo quo facis studio in tantis Ecclesiae periculis gregibus istis providere pergas, divinam opem a Deo enixe adprecamur; et Apostolicam Benedictionem pignus paternae benevolentiae Nostrae peramanter impertimur.

Datum ex Coenobio Carthusianorum prope Florentiam die V Ianuarii MDCCXCIX, Pontificatus Nostri anno XXIV.

LXI.

VENERABILI FRATRI

OCTAVIO

Archiepiscopo Nazianzeno

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

È giunto a Nostra notizia che monsignor Passeri nell'assentarsi da costì abbia surrogato la di lei Persona nell'officio di Vicegerente di Roma e suo Distretto.

Noi approviamo simile scelta, tenendo fermo che Ella colla sua vigilanza e saviezza disimpegnerà ottimamente l'incarico addossatole in sì difficili circostanze. Ci persuadiamo altresì, che lo stesso monsignor Passeri non abbia omesso di comunicarle le opportune istruzioni per la condotta degli affari di maggior rilievo, e segnatamente che le abbia manifestato i Nostri precisi sentimenti sull'articolo del giuramento prescritto dalla Costituzione Romana. Siccome però sono qui venuti riscontri da più parti, che i Profes-

sori di codesta Università siano stati di già intimati a prestare il detto giuramento, così non possiamo dispensarci dal rammentarle le decisioni da Noi emanate altra volta dopo maturo esame su di tal punto, essere cioè illecito di prestarlo puramente e semplicemente, e potersi soltanto ammettere secondo la formola trasmessa a detto monsignor Passeri, la quale per maggior cautela a Lei pure trasmettiamo, cioè: « *Io N. N. giuro, che non avrò parte in qualsivoglia congiura, complotto o sedizione pel ristabilimento della Monarchia, e contro la Repubblica, che attualmente comanda, odio all' anarchia, fedeltà ed attaccamento alla Repubblica ed alla Costituzione, salva peraltro la religione cattolica.* »

Ci preme giustamente al maggior segno, che in un affare sì delicato e scabroso si tenga una condotta uniforme, e che si concilino le proteste d' ubbidienza e fedeltà al Governo con i doveri inalterabili della Cattolica Religione, tanto più che Roma deve servire in questo di esempio agli altri popoli, e deve evitare lo scandalo gravissimo che ne risulterebbe, se qualcuno si facesse lecito di allontanarsi dalla Nostra decisione, la quale in molti altri luoghi è stata ricevuta con tutto il rispetto, ed eseguita colla maggior esattezza, e che è consentanea a quella da Noi emanata pel giuramento proposto dalla Costituzione Francese, e che, dopo lungo e maturo esame, e dopo aver bilanciate le ragioni di ambe le parti, col consiglio della Congregazione deputata per gli affari ecclesiastici di Francia venne da Noi dichiarato illecito.

Faccia dunque Ella noti ad ognuno questi sentimenti a seconda del bisogno, e gli abbia sempre presenti per sostenerli con sacerdotale fermezza, riponendo tutta la sua fiducia nel Signore, che non manca di sua assistenza ai sostenitori della buona causa, mentre

Noi nell' implorarle dal Cielo l' abbondanza delle divine grazie ed aiuti le diamo affettuosamente la paterna apostolica benedizione.

Datum Florentiae in Coenobio Carthusianorum die XVI Ianuarii MDCCXCIX, Pontificatus Nostri anno XXIV.

Latina versio (1)

VENERABILI FRATRI

OCTAVIO

Archiepiscopo Nazianzeno

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad Nostram pervenit notitiam, quod D. *Passeri,* cum discederet, Te subrogaverit in officio Vicesgerentis *Romae,* illiusque districtus. Hunc delectum approbamus pro certo habentes, Te pro tua vigilantia ac sapientia optime functurum eo munere, quod Tibi in tam arduis rerum circumstantiis impositum est. Nobis insuper persuasum est, eundem D. *Passeri* non omisisse Tecum opportunas communicare instructiones, pro maximi momenti negotiis capessendis, et signanter Tibi ab eo manifestata fuisse certa animi Nostri sensa de iuramento constitutione romana praescripto. Cum vero pluribus ex locis hic nuntiatum sit, professoribus universitatis, quae Romae est, indictum iam fuisse,

(1) Quae habetur in Collect. Brev. Pii VI Edit. 1800. Tom. 2. pag. 259.

ut praefatum praestarent iuramentum, non possumus, quin tuos ob oculos ponamus eam, quae alias emanavit a Nobis, post maturum examen, de hoc puncto decisionem, id est, esse illicitum pure ac simpliciter illud emittere, posseque dumtaxat admitti iuxta formulam a Nobis dicto D. *Passeri* transmissam, quam ad maiorem cautelam de novo transcribimus: *Ego N. N. iuro me partem non habiturum in quacumque coniuratione, conspiratione et seditione pro restituenda Monarchia, et contra Rempublicam, quae nunc imperat; odium Anarchiae, fidelitatem, atque adhaesionem Reipublicae, et Constitutioni, salva de cetero Religione Catholica.* Iustis de causis maximae Nobis curae est, ut in negotio tam delicato ac salebroso observetur uniformis agendi ratio, utque protestationes obedientiae ac fidelitatis regimini, cum immutabilibus Catholicae Religionis officiis concilientur; eoque magis quod Roma debeat in hoc puncto ceteris populis exemplum praebere, illudque gravissimum vitare scandalum quod resultaret, si quisquam sibi licitum putaret a Nostra deviare decisione, quae multis aliis in locis maxima cum veneratione excepta est, et accuratissimae executioni demandata, quaeque consentanea est alteri, quae iam a Nobis emanavit pro iuramento Gallica Constitutione proposito, quod post longum ac maturum examen, atque exacte ponderatis in utramque partem rationibus, de consilio Congregationis pro ecclesiasticis Galliae negotiis deputatae, a Nobis illicitum fuit declaratum. Cura igitur, ut hos Nostros sensus unusquisque, prout opus fuerit, perspectos habeat, hosque ipse semper habeto praesentes, ut eos cum sacerdotali fortitudine sustinere valeas, reponendo totam in Domino fiduciam tuam, qui bonam causam tuentibus adsistere non omittit. Interim Nos implorantes e caelo divinae gratiae atque adiutorii abundantiam, Tibi pa-

ternam Nostram Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Florentiae ex Coenobio Carthusianor. die XVI Ianuarii, anni MDCCXCIX, Pontificatus Nostri Anno XXIV.

LXII.

VENERABILI FRATRI

OCTAVIO

Archiepiscopo Nazianzeno

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

In mezzo alle molte e gravi tribolazioni, sotto il peso delle quali, se la destra dell'Onnipotente non ci sostenesse, avremmo ormai dovuto soccombere, al dolore di una nuova infermità che ci travaglia, non potea aggiungersene uno maggiore di quello, che ci hanno recato i di lei fogli dei 20 e 25 corrente, coi quali ci annunzia che i Professori del Collegio Romano e della Sapienza hanno già prestato puramente e semplicemente il giuramento prescritto dalla Costituzione Romana. Avevamo già su tale oggetto manifestati i Nostri sentimenti a monsignor Passeri, e dal primo foglio d'Istruzioni da Lei trasmesse al Clero romano, delle quali ci rimette copia, scorgiamo, che non le erano ignoti, giacchè vediamo da Lei proposta quella stessa formola di giuramento, che da Noi era stata approvata.

Non sappiamo dunque comprendere come ad un tratto abbia potuto Ella cambiare d'avviso, e mentre tutti i Professori erano dispostissimi ad obbedire a

costo di qualunque perdita, come Ella ne assicura, abbia potuto dettare una seconda istruzione, ossia dichiarazione, che non dichiara, ma distrugge affatto la prima.

Non potea esser ignoto a Lei, e molto meno ai Professori del Collegio Romano, con quanta maturità di consiglio sia stato da Noi più volte pronunciato essere illecito il giuramento in questione, considerato nel suo puro e naturale significato, giudizio, che ben lontano dall'esser a Noi *prava insinuatione suggestum,* per servirci delle parole della Decretale da Lei citata, è stato invece da Noi pronunciato previe le più serie consultazioni di dotti ed esperti Teologi, previo un maturo esame d'una Congregazione di Cardinali per probità e dottrina specchiatissimi, e ripetuto di più da Noi al Rettore del detto Collegio, allorchè nella scorsa state ci fece interrogare se doveano gli ecclesiastici prestarsi al giuramento nel caso che fossero richiesti.

Non vi era dunque bisogno di maggior solennità, perchè ed Ella e i detti Professori dovessero esserne intimamente convinti, che il giuramento nei termini, ne' quali viene dalla Costituzione prescritto, è assolutamente illecito. Nè possiamo Noi arrenderci alle ragioni che Ella ci espone per giustificare la sua seconda Istruzione, poichè sebbene le parole dei giuramenti si abbiano ad intendere secondo il senso di chi l'esige, qualunque verbale dichiarazione abbiano fatto i Professori avanti al Magistrato destinato a ricevere il loro giuramento, non ne varia la sostanza; e siccome il solo Legislatore, e non un Magistrato destinato alla materiale esecuzione d'una legge può essere il competente interprete della medesima, così l'apparente annuenza del Magistrato alla verbale dichiarazione de' Professori non basta per dare alle parole del

giuramento una interpretazione diversa dal significato che quelle puramente e naturalmente pronunciate contengono.

Hanno i Professori stessi provveduto allo scandalo grave che arrecar dovea il loro giuramento, e sorprendendo la di Lei buona fede le hanno insinuato la seconda Istruzione, che servir loro potesse di scudo contro le accuse, che aveano ragione di temere da tutti i buoni. Il biglietto del Prefetto degli studii, che protesta non essersi prestati i Professori al giuramento, se non relativamente alla seconda di Lei Istruzione, e che chiede una pubblica giustificazione della condotta dei medesimi col registro del biglietto stesso nella di Lei Segreteria, la deve convincere di questa verità; e Noi frattanto con acerbissimo dolore dell'animo Nostro siamo costretti a vedere, che mentre da tante parti del mondo cattolico sono state accettate e rispettate le Nostre decisioni sull'erroneità del giuramento, ora in forza della sua seconda Istruzione, e dell'esempio del Collegio Romano e della Sapienza sembrerà, che Roma già maestra della verità, siasi fatta maestra dell'errore.

Non sia mai che il Nostro silenzio serva ad autorizzarlo: ci affrettiamo, per quanto le Nostre deboli forze lo permettono, ad avvertirla di richiamare la seconda Istruzione da Lei pubblicata, e colla scorta del Nostro Breve dei 16 corrente di far palese quali siano i precisi Nostri sentimenti relativamente al richiesto giuramento, e per le viscere di Gesù Cristo Signor Nostro l'esortiamo a far uso di tutta la sua pazienza e dottrina, e per confermare quelli che a costo di qualunque perdita e con universale edificazione hanno ricusato di prestarlo, e per confermare i deboli, e per richiamare i traviati, ammonendoli non solo di riparare sollecitamente lo scandalo dato,

ma comandando loro in virtù di santa obbedienza di astenersi dal pubblicare qualunque scritto, che contrario sia ai Nostri insegnamenti. « *Qui novit Deum,* » *audit Nos; qui non est ex Deo non audit Nos. In* » *hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum er-* » *roris;* » concludiamo colle parole dell'apostolo S. Giovanni (1). Confidiamo nella divina misericordia, che non solo i Professori del Collegio Romano e della Sapienza, ma gli ecclesiastici tutti con vero spirito di concordia, di mansuetudine e di carità sapranno unire la sincera fedeltà e subordinazione ai Magistrati che attualmente governano, e che Ella saggiamente ha inculcato nella sua prima Istruzione, coll'osservanza della suprema legge della coscienza e di Dio, e che i Magistrati stessi, conoscendo la rettitudine delle Nostre Istruzioni, troveranno irreprensibile la di Lei condotta nell'uniformarvisi *nihil habentes malum dicere de nobis* (2).

Le preghiamo in fine dal Signore Iddio lumi e conforto, onde sostener possa con apostolica fermezza l'incarico che le abbiamo addossato, e diamo a Lei di cuore e a tutto codesto amatissimo popolo l'apostolica benedizione.

Datum Florentiae in Coenobio Carthusianorum die XXIX Ianuarii MDCCXCIX.

(1) Ep. I. IV. 6.
(2) Ep. ad Tit. II. 8.

Latina versio (1).

VENERABILI FRATRI

OCTAVIO

Archiepiscopo Nazianzeno

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

In maximis curis, gravissimisque aerumnis quibus oppressi iamdudum succumbere debuissemus, nisi Nos Omnipotentis dextera firmaret; doloribus novae infirmitatis, qua laboramus, nullus acerbior adiungi potuit illo, quem Nobis attulerunt Tuae 20 et 25 currentis huius mensis ad Nos datae litterae, quibus Nobis significas, a professoribus Collegii Romani et *Sapientiae* iam pure et simpliciter emissum fuisse iuramentum Constitutione Romana praescriptum. Nostra de hoc puncto sensa iam D. *Passeri* palam feceramus, et ex primo instructionis folio a Te Clero Romano transmisso, cuius exemplar Nobis etiam transmittis, perspicimus Nostra haec sensa non fuisse Tibi ignota; siquidem videmus a Te propositam eandem iuramenti formulam, quae a Nobis fuerat approbata. Non possumus igitur comprehendere, quomodo mentem subito mutare potueris; et cum omnes professores cum periculo cuiuscumque iacturae, ut asseris, ad obediendum fuerint paratissimi, quo pacto potueris emittere

(1) Quae habetur in Collect. Brev. Pii Edit. an. 1800 Tom. 3. pag. 262.

novam instructionem, seu declarationem, quae non explicat, sed destruit omnino priorem. Tibi, et multo minus Collegii Romani professoribus ignotum esse non potuit, quam maturo consilio pluries a Nobis pronunciatum fuerit, illud, de quo agitur, iuramentum, si consideretur in pura et naturali sua significatione, esse illicitum; quod quidem iudicium, nedum fuerit Nobis *prava insinuatione suggestum,* ut decretalis a Te citatae verbis utamur, a Nobis potius pronunciatum fuit, praeviis doctorum ac peritorum theologorum seriis consultationibus, praevioque maturo examine unius Congregationis Cardinalium probitate ac doctrina spectatissimorum, et deinde a Nobis dicti Collegii Rectori etiam indicatum fuit, cum is praeterita aestate interrogandos Nos curavit, essetne id iuramentum a viris ecclesiasticis, si exigeretur, praestandum. Nulla igitur maiore, magisque publica opus fuit notitia, ut Tu, et professores penitus convicti essetis, iuramentum in terminis, quibus est Constitutione praescriptum, absolute esse illicitum. Non possumus assentiri expositis a Te rationibus ad ostendendam secundae tuae instructionis aequitatem; quamvis enim iuramenti verba intelligi debeant ab eo, qui iurat, in sensu illius, qui illud exigit, qualemcumque verbalem declarationem emiserint dicti professores, coram magistratu ad iuramentum eorum recipiendum delegato, non potuit mutari illius substantia; et sicut solus legislator, et non merus magistratus ad materialem legis executionem delegatus, potest esse competens eiusdem interpres, ita licet verbali professorum declarationi apparenter annuerit magistratus, hoc minime sufficit, ut verbis iuramenti detur interpretatio diversa ab ea significatione, quam pure et naturaliter pronunciata continent. Praeviderunt ipsi professores scandalum grave, quod praebere debuit illorum iuramentum, et bonam fidem tuam cir-

cumvenientes, Tibi alteram suggesserunt instructionem, qua tamquam clypeo uterentur adversus accusationes, quas ab omnibus bonis sibi esse intentandas non sine fundamento metuebant. Schedula praefecti studiorum qua protestatur, a professoribus non praestitum fuisse iuramentum, nisi relative ad secundam tuam instructionem, et qua petit ut, ad publicam eorundem agendi rationis iustificationem, eadem schedula registro tuae Secretariae inseratur, huius Te veritatis convincere debet. Nos itaque cum acerbissimo animi nostri dolore cernere constringimur, quod, tum in tot mundi Catholici partibus acceptatae, ac venerationi habitae fuerint nostrae de iuramenti pravitate decisiones, nunc vi novae tuae instructionis, atque operante Romani Collegii et *Sapientiae* professorum exemplo, visum fuerit Romam, antea magistram veritatis, factam fuisse magistram erroris. Absit, ut id ipsum Nostro silentio comprobari valeat. Nos igitur Te, quantum sinit infirma Nostra valetudo, incunctanter admonemus, ut editam a Te secundam instructionem cito revoces, Nostrumque 16 mensis currentis Breve indices, quo palam omnibus fiat qualia sunt praecisa Nostra de exacto iuramento sensa; Teque per viscera D. N. I. C. exhortamur, ut omni tua utaris patientia atque doctrina, tum ut in sancto proposito confirmes eos, qui cum cuiuscumque iacturae periculo, et non sine omnium aedificatione, illud praestare renuerunt, tum ut infirmos confortes, et a via aberrantes reducas, non solum admonendo eos, ut a se datum scandalum solliciti reparent, sed etiam praecipiendo in virtute sanctae obedientiae, quae legitimo Ecclesiae Pastori debetur, ut a qualicumque scripto, quod Nostris fuerit documentis contrarium, abstineant. *Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et*

spiritum erroris; ita cum verbis *Ioannis* Apostoli (1) concludimus. Divina freti misericordia confidimus fore, ut non solum Collegii Romani et *Sapientiae* professores, sed et omnes ecclesiastici viri, in vero concordiae, mansuetudinis et charitatis spiritu, noverint unire sinceram fidelitatem et subordinationem magistratibus, qui iam regimine funguntur, et quam sapienter in priori Tua instructione inculcasti, cum debita in supremam conscientiae ac Dei legem observantia; utque ipsi magistratus Nostrae intentionis rectitudinem perspicientes, Tuam in eodem Nobiscum sensu agendi rationem irreprehensibilem agnoscant, *Nihil habentes malum dicere de Nobis* (2). Denique Dominum Deum obsecramus, ut lumen et virtutem Tibi infundat unde cum Apostolica firmitate sustinere valeas onus, quod Tibi imposuimus; Tibique, ac dilectissimo Nostro populo Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Florentiae ex Coenobio Carthusian. XXX Ianuarii anni MDCCXCIX, Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIUS PAPA VI.

(1) Epist. 1. IV. 6.
(2) Ep. ad Tit. II. 8.

LXIII.

EPISTOLA

REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI

TYRI ARCHIEPISCOPI

Sanctae Sedis ad tractum Rheni, ceterasque Inferioris Germaniae partes cum potestate Legati de latere Nuntii.

AD REVMUM ET ILLMUM

LEXOVIENSEM EPISCOPUM

De sancita a modernis Galliae moderatoribus Regii Regiminis exsecratione.

Reverendissime et Illustrissime Praesul.

Litteris tuis Monachii die 26 huius mensis ad me datis significas, tua plurimum referre ut scias, num sancta Sedes circa vovendum in Gallia monarchico regimini odium sententiam tulerit nec ne; et rogas, ut si quid certi circa hanc quaestionem, de qua non parum disceptatur, ad notitiam meam pervenerit, id tecum communicare velim.

Cum occasio quaevis bene de Reverendissima et Illustrissima Dominatione tua merendi acceptissima mihi sit, oblatam perlibenter amplector: imo eo libentius quod res de qua percontaris et penitus perspecta mihi est, et eam apud omnes pervulgari quam maxime cupio.

Ut primum in Urbe fama percrebuit, circa decretum, quo sacerdotes sub deportationis comminatione regimen monarchicum solemni iuramento exsecrari iubebantur, novas, vel in ipso ordine ecclesiastico, scissiones esse obortas, aliis iuramentum huiusmodi tam-

quam sacrilegum facinus detestantibus, aliis e contra id, salva conscientia, emitti posse contendentibus, Sanctissimus Dominus Noster pro ea, qua tenetur, ecclesiarum omnium sollicitudine Congregationi Cardinalium pro expediendis negotiis ad praesentem gallicanae Ecclesiae crisin spectantibus institutae demandavit, ut rem maturo examini subiiceret, quidque circa illam agendum statuendumque arbitraretur, ad se referret. Sine mora iusso paruere Cardinales, ac perpensis, quae pro et contra stabant, rationibus, ad unum omnes iudicarunt sacramentum odii regiae potestatis (Je jure haine à la royauté et à l'anarchie, attachement et fidélité à la république et à la constitution de l'an 3), divinae legi repugnare. Cum autem iam in eo essent, ut Pontifici suam sententiam aperirent, ecce lacrimabilis illa almam urbem obruit catastrophe, quae negotiorum omnium filum abrupit, et dictae Congregationis membra dissipavit.

Attamen ne quaestio tanti momenti, circa quam dubia brevi exoritura esse, pronum erat praevidere, in ambiguo maneret, reverendissimus Dominus de Pedro, Episcopus Isaurensis, qui Congregationis secretarius fuerat, Sanctissimo Domino Nostro in Tusciam iam iam profecturo renuntiavit, quaenam cardinalium circa praedictum iuramentum mens ac sententia fuerit, eumque rogavit, ut quid de eo tenendum esset, suae vocis oraculo decerneret. Petito Pontifex annuit, edixitque iuramentum huiusmodi prorsus illicitum esse, iubens insimul praelaudato Isaurensi episcopo, quem, suscepturus exsilium, suum in urbe vicarium instituebat, ut hoc sanctae Sedis iudicium occasione nata propalaret.

Nec diu defuit iussi exsequendi opportunitas. Reverendissimus quippe Grassensis episcopus haud multo post tria circa sacramentum odii dubia Sanctitati Suae

proposuit, ad quae iuxta sensum Pontificis sibi exploratum, ipso Pontifice iubente eo modo reverendissimus Isaurensis episcopus respondit, quem ex adiuncto folio (1) reverendissima et illustrissima Dominatio tua perspiciet. Rem porro totam, qualem modo narravi ex ore Sanctissimi Domini Nostri didici, cum mense septembri anni proxime elapsi Florentiae eius iussa capesserem. Idem ipse mihi archetypum exemplar litterarum episcopi Isaurensis ad Grassensem episcopum exhibuit, quod, deficiente tuta occasione, ablegari nondum potuerat, quodque ego propria manu descripsi.

Concordant cum supra laudato Sanctissimi Domini Nostri iudicio apostolicae litterae amoris ac existimationis plenae, paulo ante ad eminentissimum cardinalem archiepiscopum Mechliniensem datae, quarum ideo exemplar (2) hisce paginis adnectere iuvat. Cum enim eminentissimi Cardinalis in tolerandis adversis constantiam tantis attollat laudibus Pontifex, eaque vel maxime in subeunda ob denegatum impium sacramentum exsilii poena eluxerit, eo modo utique ostendit illud ipsum iuramentum sibi maiorem in modum improbari. Superest ut tibi, reverendissime Praesul, perfectae existimationis meae sensus contester, cum quibus subscribor, reverend. et illustr. dom. tuae,

Obsequiosissimus servus,
H. Archiep. Tyri,
Nuntius apostolicus

(1) Folium istud habes supra Num. LVI. pag. 178.
(2) Apostolicas has litteras vide superius relatas Num. LII. pag. 169.

LXIV.

EPISTOLA

Reverendissimi ac Celsissimi Episcopi ac Principis Leodicensis ad Excellentissimum ac Reverendissimum Archiepiscopum Tyri, ad tractum Rheni Nuncium Apostolicum.

Excellentissime ac Reverendissime Domine.

Grates hisce meis Excellentiae Tuae rependo, pro variis instrumentis, quae una cum litteris suis 18 currentis, coniuncta ad me transmittere pro sua benignitate curavit, ut ex ipsis iuratum meum Canonicum convincere possem. Non sine iucunditate hodie Tuam Excellentiam certiorem facio, mihi, quo illum a suo errore revocarem, satis fuisse, ut ad eum mitterem exempla duorum Brevium SS. Patris Nostri ad Illustriss. ac Reverendiss. D. *Octavium Boni*, Archiepiscopum Nazianzenum, ac responsorum ab Illustriss. ac Reverendiss. *de Pedro* ad Illustriss. ac Reverendiss. Episcopum *Grassensem* datorum, ipsorumque authenticitatem ipsi attestarer. Cumque eidem tradiderim duas epistolas Vicario meo generali de eodem obiecto reddendas, una cum tribus praedictis instrumentis, quam maxime spero fore, ut non minorem apud eum effectum obtineant, illudque extinguant schisma, quod in mea Dioecesi eodem de obiecto exortum est, dum Iuratos ad sanam doctrinam revocaverint.

Gratias etiam ago Excellentiae Tuae quam maximas pro iis, quae pro sua benignitate in suis litteris de iuramento fuse exposuit. Id unum exopto ut pro virili mea parte, maximo S. Nostrae Religionis ac fidei bono promovendo una collaborem; sed cum aliunde

agnoscam, bonae voluntati meae media saepe minus correspondere, quam ab ipsa exigitur, persuasum habeas velim, Rever. atque Excell. Domine, fore ut ea, quae a Te de ipso fonte hausta mecum communicata fuerint, tuaeque doctrinae lumen atque adiutorium maximo semper in pretio a me habeantur.

Precor Excellentiam Tuam, ut acceptas habere dignetur sinceras gratiarum actiones meas pro eo, quem se optimae erga me dispositionis favorem gerere testatur, simulque certissimos perfectae existimationis sensus, quibuscum subscribor,

Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Tuae,

Essert. XXXI Maii MDCCXCIX.

Humillimus ac obsequentissimus Servus

Franciscus Antonius,
Episcopus ac Princeps Leodiensis.

LXV.

EDICTUM

LAURENTII DE DOMINICIS

Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, Hortae et Civitatis Castellanae Episcopi.

Licet praeteritis calamitosis extincti regiminis republicani temporibus, iuxta celebrium quorundam theologorum opinionem, creditum fuerit esse licitum iuramentum ipsius Constitutione praescriptum, cum postea suam mentem de illo aperuerit Caput Ecclesiae visibile, Summus Pontifex Noster, sanctae memoriae Pius Papa VI, in Brevibus *Florentiae* mense Ianuario

labentis anni datis ad Reverendiss. D. *Romae* Vicesgerentem, quibus declarat penitus illicitum istud iuramentum in puro ac nativo sensu suo acceptum, non est amplius dubitandum, quin a quocumque christiano catholico non potuerit praestari.

Statim atque pervenit ad nos huius rei, quantumvis retardata notitia, onus assumpsimus de illa certiores faciendi Vicarios nostros generales per transscripta horum Brevium exempla, ut cum debita cautela monitos facerent, qui hoc iuramento essent obstricti; nec defuimus cuilibet requirenti consentanea dare responsa; sed tunc libere loqui atque agere non licuit, propter severas a ministris regiminis adhibitas inquisitiones adversus eos, qui talibus publicandis Brevibus cooperarentur.

Nunc autem cum, opitulante Deo, in pristinam libertatem simus vindicati, et S. Ecclesia liberata sit ab ea, in qua gemebat, servitute, iam suum sortitae sunt effectum pastorales nostrae sollicitudines; multi enim praeteritum detestantes regimen, Deo reconciliati sunt, atque iniquum iuramentum in actis publicis cancellariae nostrae solemniter retractarunt.

Nihilominus tamen, ut nullus iurisdictioni nostrae subditus remaneat ignarus supremae huius pontificiae decisionis, atque tali iuramento obstrictus, praesentium virtute eam omnibus perspectam facimus, et ad hunc effectum, cum simus in *Adventu,* quod quidem tempus in Ecclesia sacrosanctum est, omnibus approbatis confessariis concedimus facultates, ut possint absolvere poenitentes, qui pro hoc obiecto eos adierint, sub ea tamen conditione, quod cancellariae nostrae generali, sive forensi exhibebunt in scriptis solemnem debitis in formis iuramenti illius retractationem Nobis successive restituendam...

Quam primum praesentes affixae ac publicatae fue-

rint, perinde sit, ac si omnibus personaliter fuerint intimatae, ut nullus possit ignorantiam allegare.

Datum in Palatio nostro episcopali Civitatis Castellanae MDCCXCIX.

Laurent. Hortae ac Civitatis Castellanae Episcopus.

Antonius Salvatelli Cancell. Episcopalis.

LXVI.

EPISTOLA CARD. ANTONELLI

Ex Conclavi

AD REVMUM AC ILLMUM DOMINUM

B R A N C A D O R O

Archiepiscopum Nisibenum et Propagandae Fidei Secretarium.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Episcopi insignes et omni aestimatione digni, Domini Cardinalis Mechliniensis et Praelati Iprensis et Ruraemundensis, decreto ipsorum die 24 Decembris anni elapsi, manifestarunt eorum sensa circa primam formulam iuramenti noviter propositam a Galliae moderatoribus quae erat sequens: *je jure fidélité à la République Françoise une et indivisible, fondée sur la souveraineté du peuple, le régime représentatif et le maintien de la liberté, l'égalité, la sureté et la propriété.* Et in obsequium auctoritatis sedis apostolicae protestati sunt: *praesentem declarationem nostram supremo eligendi proxime (uti speramus) Pontificis Romani iudicio in omnibus subiicimus.*

Videtur haec formula hodiedum amplius non esse

in quaestione, cum moderatores ipsi reipublicae iam unice proponant hanc alteram: *je promets fidélité a la Constitution:* et circa hanc formulam ex transmissis mihi ab Illustriss. Dominatione vestra documentis video quod sit reprobata in Belgio a Domino cardinali archiepiscopo Mechliniensi, a domino episcopo Iprensi, a Domino episcopo Ruraemundensi et a vicariatibus Antverpiensi, Tornacensi, et Namurcensi. Huius eiusdem opinionis fuere etiam multi episcopi Galli commorantes in Bavaria, qui manifestarunt suas rationes in variis scriptis transmissis ad Dominum cardinalem Maury. Domini cardinales deputati a Stae. Mem. Pio VI. ad sacram congregationem pro rebus ecclesiasticis Galliae, summopere laudaverunt tam horum quam illorum praelatorum doctrinam et zelum. Sed cum materia sit maximi momenti, et decisio haberi non possit nisi a sancta Sede Apostolica, quae iam Capite suo orbata est, omnes simul crediderunt suspendendum esse omne eorum iudicium, et accesserunt prudenti reservationi factae a supradictis episcopis Belgii subiiciendi examen istarum formularum et aliarum quae a variis aliis partitionibus Galliae possent substitui, iudicio futuri Romani Pontificis, cuius electioni auxilio et lumine Spiritus sancti sunt incessanter occupati. Cum singulari aestimatione Illustrissimae Dominationis vestrae ex vero corde manus exosculor.

Illustrissimae et reverendissimae dominationis vestrae

Servitor verus
L. Card. Antonelli.

Venetiis ex Conclavi
7 Martii 1800.

APPENDIX

I.

RETRACTATIO

FRANCISCI THERESE PANISSET

Intrusi Episcopi in Sabaudia

MISSA AD SUMMUM PONTIFICEM

PIUM VI. [1]

Aliquo abhinc tempore recedens a terra, in qua spiritus mendacii suas circum me praestigias renovare non desinebat, in qua iam timores et spes, iam passiones et remorsus per vices premendo agitatam animam meam, ne in se rediret, impediebant, tandem in malatia *(sic)* secessus et passionum silentio adverti animum ad infelix stadium, quod percurri. Quaelibet reflexio auxit meam confusionem, et scisso denso, quod meimet cognitionem mihi occulebat, velamine, vulnera animae meae et conscientiae chaos revelavit. Ad hunc obtutum pudore correptus tentabar, ut importuni luminis radios effugerem; paene me temporis mearum fluctuationum poenitebat. Sed Deus misericordiarum sit benedictus in aeternum! Bonitas eius sustentavit meam infirmitatem, gratia eius vicit repugnantem voluntatem meam, et luce sua recondita cordis mei collustrans edocuit me, quam procul me superbia in devium abstu-

(1) Vid. superius NN. XXXV, et XXXIX. pagg. 117. 183.

lerit, et qua mentis excaecatione eidem officia mea sortemque beatae aeternitatis immolarim. Eheu! quam profunda est abyssus, quam sub pedibus meis excavavi! Quomodo reparabo tanta scandala, profanationes et sacrilegia? O Domine! revelabo forti animo, confitebor perfidiam meam; palam faciam eo candore, qui solus mederi quodammodo potest malis, quorum auctor aut occasio exstiti, et misericordia tua sacrificium hoc gratum habens delebit iniquitatem meam.

Ego decennio Parochus fui S. Petri loci Albigny dioecesis Chamberiensis; ibi vixi, ausim dicere, cum opinione virtutis, quam homines moribus austeris passim tribuunt: sed tu, Deus meus, qui scrutaris corda et renes, vidisti, quod opera mea vacua fuerint, quod occultus amor proprius ea produxerit, et quod meorum cogitatione meritorum turgidus non satis honoris iis haberi aegre tulerim. In hoc animi habitu mens prona est in censuram, cor in obedientiae impatientiam; libenter audiuntur querimoniae contra auctoritatem, et mox eisdem suffragium adiungitur. Ita cum necessitudo mihi cum Iansenianis esset, illico laudavi, quod vocabam eorum virtutem; subinde coepi reprehendere auctoritatem, quae eos condemnabat; demum egomet parere, nisi prudentiae nomine, desii. Funestam superbiae progressionem! in quos non errores me ipsa coniecit! Infelix epocha! quae in Sabaudiam regnum licentiae et impietatis invexit, debuisset me intimo sensu doloris afficere, et zelum in me excitare: ipsa contra in me perversae spei et aberrationum occasio evasit. *Libertatem* Gallicanam, fecundum hoc vitiorum germen, sub specie boni mihi proposui, et *aequalitatem,* fastus delirantis fructum, saeculi felicis auroram reputavi. In quam spissas tenebras mersus erat spiritus meus! Francia funditus eversa, convulsionibus indesinenter renascentibus agitata; religio in dogmatibus suis, sua mo-

rali doctrina, seu disciplina oppugnata; clerus fidelis secures impiorum, qui fines obsidebant, aegre elapsus, nihil horum oculos mentis meae aperire potuit. Seductus illecebris regiminis, quod instituebatur, conabar meum enthusiasmum cum parochianis meis communicare; annunciavi eis commoda regni *fraternitatis;* acceptavi denique cum voluptate titulum deputati ad Comitia dicta Allobrogum: et scandalosarum, quae ibi actae sunt, scenarum testis spem de novo regimine conceptam non conservari modo, verum etiam augeri sensi. Huiusmodi erant animi mei motus, dum Conventus Nationalis Commissarii publice in Sabaudia proclamationem adeo desideratam ab impiis, adeo formidatam a fidelibus, quae cum auctoribus suis ad evertendum aut opprobrio cumulandum sacrum ministerium destinata esset, huic potius pulcherrimi triumphi occasionem subministravit. Suppressio Episcopatuum Sabaudiae, eorum unio sub titulo Episcopatus Montis Albi, obligatio parendi decretis comitiorum Nationalium, praeceptum omnibus Ecclesiasticis servitio cultus addictis impositum emittendi iusiurandum libertatis et aequalitatis, sine explicatione, sine restrictione, haec fuit summa eius funestae proclamationis.

Iam errores, quos eadem in Sabaudiam intulit, Brevi Summi Pontificis 10 Martii 1791 contra Civilem Constitutionem Cleri edito damnati erant; iam altero Brevi 13 Aprilis edito, omnibus, qui eam Constitutionem se observaturos iuraverant, praescriptum fuit, ut iusiurandum a se praestitum retractarent. Episcopi Ecclesiae Gallicanae se ei iudicio adhaerere palam fecerant, atque una cum Cleri sui maxima parte, sua agendi ratione eam commonstravere constantiam, quam nec exilium, nec spoliationes, neque supplicia vincere possent. Tandem Episcopus meus, mei superiores, ipsi simplices fideles, hi omnes ad me in offi-

cio continendum conspirabant; ego tamen haec omnia insuper habui, meque impiis factiosis, qui Ecclesiam et Rempublicam pervertebant, coniungens praescriptum iusiurandum emisi. Actu hoc funesto turbam errorum adoptavi. Ecclesiam, divinum hoc institutum, cuius auctor est Iesus Christus, cuius media sunt infinitorum Christi meritorum applicatio, cuius finis est aeterna hominum salus, tradidi, quantum per me stabat, potestati humanae, et speculationum politicarum delirio. Vidi absque horrore, potestatem civilem decidere, quod Episcopi per Spiritum sanctum ad regendam Ecclesiam positi, auctoritatem suam amiserint; vidi ab eadem potestate Episcoporum iurisdictionem extendi aut restringi ad modum gubernatorum provinciae; et inaudita ea attentata, quae auctoritatem Ecclesiae suique regiminis independentiam in nihilum redigebant, destruebant ideam spiritualis potestatis et sacri ministerii, quae proinde involabant in fundamenta fidei, me insensibilem repererunt; applaudebam illimitatae submissioni, praestitae auctoritati, quae Sabaudiam gubernabat. Spiritui illusionis deditus, ex eo mihi magis placebam; superbus in coecitate me ad magis adhuc funestos lapsus praeparabam. Ad id luculentam occasionem praebuerunt mihi Comitia, quibus ego ad praetensum Montis Albi Episcopatum sum evectus. Electionis huius irregularitas, novitas tituli, sedium quatuor viventium Episcoporum usurpatio, merito percellere me atque ad refugiendum inducere debuissent; sed o fascinationem incomprehensibilem! Acceptavi nihil haesitans; et sub oculis Episcopi mei, venerabilis senis illius, qui tunc longum suum ingressus est martyrium, et qui clero suo eo medio clarissima et efficacia praecepta dabat, ausus sum accedere ad exhibendas electoribus meis in ipsa Cathedrali Ecclesia gratiarum actiones. Et nihilominus sola eius electionis

adiuncta debuissent aperire oculos meos. Electores nempe a cunctis communitatibus Ducatus diserta receperant mandata, ne ulli in ordine religionis innovationi consentirent: idcirco dum ad electionem meam procedi viderunt, plerique abscesserunt. Electio itaque facta est a populo, qua de re saepe gloriari non erubui; ea nonnisi aliquot hominum irreligiosorum votum continebat; ego tamen illud mihi tam ignominiosum votum, electionem disciplinae Ecclesiae primitivae conformem, appellavi. Quantum vero discrimen inter vetus Concilium Episcoporum, populum alicuius civitatis de electione in consilium vocans, et inter comitia electiva, ubi diversarum communitatum nuntii pro maiori suffragiorum numero decidunt! Verum in rem meam praecipue conducebat vano eo spectro illudi, et in adoptandis adminiculis haud esse difficilem.

Post eiusmodi praevaricationes nihil me amplius cohibere poterat; scripsi Summo Pontifici de electione mea; explevi vanam hanc et Capiti Ecclesiae iniuriosam caeremoniam; et quin vel expectarem, vel sperare possem responsum, Lugduni a tribus Episcopis Constitutionalibus consecrationem sacrilegam suscepi. Assumpsi titulum Episcopi Montis Albi, eius novitate nominis palam declarans meam ab omnibus Ecclesiae catholicae Episcopis separationem, inobedientiam erga Summum Pontificem, et mei schismatis complementum. Sub talibus auspiciis me Annecium contuli, quo loco Genevenses Episcopi residere consueverunt; civitas haec designata, ut theatrum esset, in quo ego sterile ministerium meum exercerem, in consternatione fuit; incolae conspectum meum refugiebant, eorumque triste silentium meum mihi crimen exprobrabat; attamen Ecclesiam Cathedralem ingressus sum in corona Districtus et Municipalitatis, atque ibi praestito libertatis et aequalitatis sacramento intrusionis meae perfectum

atque indubium edidi documentum. Quale sacramentum! qualis inauguratio! omnia originem novitatemque ministerii mei annunciabant, muri ipsi eius venerabilis Ecclesiae videbantur meam reprehendere audaciam, ego tamen inde magis modo excaecatus, magis obstinatus excessi. Mea praetensa *pastoralis epistola* nihil aliud erat, quam apologia mei schismatis, defensio omnium religiosarum et civilium innovationum, quae in patriam meam invectae fuerunt. « Suscipietis, in ea dicebam populo, novum Pastorem, qui venit in nomine Domini ad vos illuminandos; » ego tamen ceu a potestate saeculari missus, secundum Concilii Tridentini expressionem fur tantum et latro eram; et ab Ecclesia, quae columna est veritatis, extorris, tenebris immersus eram densissimis; neque iam aliud sequebar institutum, nisi errorem praedicandi, et gravissimorum facinorum vindicias adornandi. « Suscipietis eum, qui vos sanctificabit; » et ministerium meum sterile, in impura scaturigine sua aridum, haud connexum successioni apostolicae, quae sola illud animare poterat, nil exhibebat aliud, nisi simulacrum inane Episcopatus, imbecillorum scandalum, terrorem fidelium animarum. « Suscipietis eum, prosequebar, tamquam purae fidei, sacrorum quae proponit Ecclesia dogmatum depositarium, et sincera unione Capiti suo coniunctum; » et mea agendi ratio ac mea doctrina fidei perpetuaeque Ecclesiae disciplinae repugnans, decisionum eius infallibilitatem, regiminis auctoritatem, eam, quam universi fideles Summo Pontifici debent, obedientiam evertebat. Qua ego deploranda temeritate asseverare audebam, quod electio mea, mea consecratio, meaque in Sedem Episcopalem a longo iam tempore vacantem evectio fuerint canonicae et conformes Ecclesiae primorum saeculorum disciplinae? Quam faustus mihi et populo eventus, quod tam multi errores

tam paucos invenerint in praetensa dioecesi mea sectatores! Sane ipsi simplices fideles senserunt ecclesiastici regiminis rationem adeo palam constare, ut nemo eam sibi fingere diversam possit, quin suam prodat conscientiam. Ipsi agnoverunt secundum praxim Ecclesiae, quod omnes ordinationes episcopales post obtentas a Summo Pontifice Bullas factae sint, quod Summus Pontifex sit solus, cui Ecclesia potestatem permisit, ut iurisdictionem Episcopis conferret; quod ipsa ea ratione veterem usum, iuxta quem Metropolitani missionem et confirmationem impertiebant Episcopis abrogarit; quod Episcopi canonice missi et ordinati auctoritatem suam, nisi iudicio Ecclesiae, aut per resignationem a Summo Pontifice acceptatam, amittere non possint; et cum viderent meam agendi rationem Ecclesiae auctoritate neutiquam fulciri, verum potius Ecclesiam omnes, quae tum acciderunt, novitates aperte aversari, recte concluserunt me et eos, qui mihi adhaerebant, eius auctoritati rebelles esse. Conscripsi « Catechismum momentosum christiane politicum; » debuissem dicere: « politice christianum; » nam scopus eius scripti erat, Religionem Iesu Christi ad Constitutionem Gallicanam accommodare, et magnum revolutionis amorem inspirare. In eo conabar praesertim ostendere, quod « Constitutio Civilis Cleri » Religioni prorsus nihil adversetur, imo Ecclesiae primitivum decorem restituat. Quilibet Constitutionis articulus horrorem excitare in me debuisset, ego tamen eam universim conformem esse fidei Ecclesiae contendebam. Novae leges Gallicanae proscribebant vota solemnia, reprehendebant exercitium consiliorum evangelicorum, ego vero temerariorum istorum decretorum executionem pronunciabam, esse opus ipsius Dei, tamquam disciplinae ecclesiasticae instaurationem.

Civili Constitutione Cleri novis Episcopis praescri-

ptum fuerat, ut nihil determinarent, nisi post deliberationem Consilii, quod ipsis ab ea assignatum fuerat. Hoc decretum laedebat Episcopalem auctoritatem, et regimen ab ipso Christo institutum in Ecclesia. At ex usu sacris canonibus commendato, quem et sanctissimi sequuti sunt Episcopi, ut consilium suum consultarent, praesto mihi adfuit praetextus, unde innovationem hanc comprobarem. Eam confundere affectavi cum usu veteri, qui ad hoc unum introductus fuerat, ut auctoritati lux praeferretur, eaque magis amabilis evaderet; atque ita Episcopum exclusivo Ecclesiae suae gubernandae iure exuens, verum docui Presbyterianismum. Sub eo praetextu, quod iuxta antiquae disciplinae leges Episcopi canonice potuerint ordinari sine Bullis Summi Pontificis, conclusi eos eodem modo posse institui, ex quo Ecclesia statuerat, ut absente mandato apostolico nulla posset haberi canonica Episcoporum ordinatio. Oh! quam ignota mihi fuerunt tum vera Ecclesiae constitutio, tum sacratissima visibilis ipsius Capitis iura! Successori S. Petri denegabam Primatum hunc iurisdictionis, quem ab ipso Christo obtinet, quemque tota semper agnovit Ecclesia. Primatum eundem ad simplicem prae ceteris Episcopis praesidentiam, indispensabilemque cum Sede Apostolica communionem ad vanam epistolae mittendae formalitatem redigebam. Brevia ac decisiones Summi Pontificis censorio calamo impugnabam. Eas a ceteris Episcopis nonnisi ex defectu examinis ac libertatis, nonnisi cupiditate aut politica arte impellente, nonnisi tyrannide Aularum cogente acceptatas fuisse asserebam. Denique sic Ecclesiae dispersae auctoritatem destruere attentabam. E calamo meo fel malignitatis distillavit; satyram argumentis, ironiam ponderi auctoritatis opposui; clero fideli colorem ridiculum illinere conatus sum; imo calumnia ipsa armatus incessi, dum pastores zelosos, qui

vitam exposuerant suam, ut fidei depositum ovibus suis conservarent, velut supina ignorantia laborantes et fanatismo impulsos traduxi. Et nihilominus post tot ac tanta scandala minime reparata fere singulis diebus hucusque non exhorrui sacra celebrare mysteria!

O Deus misericors! Deus benigne! Tu illusiones meas dissipasti; perfice dona gratiae, quibus me cumulasti; et pro tui nominis gloria acceptam gratamque habeas ac salutarem efficias publicam professionem, qua me tuae legibus Ecclesiae obsequentem constituo. Credo et confiteor omnes veritates, quas Ecclesia Catholica, Apostolica et Romana tradit. Ego credo speciatim existere sacrum ministerium a Iesu Christo in Ecclesia sua institutum; auctoritatem et infallibilitatem, quam Ipse communicavit corpori primorum pastorum, cuius Caput est Papa, ad docendum, regendum et gubernandum in ordine salutis; et absolutam independentiam spiritualis potestatis, quam concredidit pastoribus Ecclesiae ad sanctificationem animarum. Post professionem sanctarum veritatum, retracto et ex convictione et ex obedientia erga Summum Pontificem, infaustum iuramentum libertatis et aequalitatis. Convictus simul et Summo Pontifici obediens, omnes Constitutionis civilis Cleri errores expressis verbis abiuro, totoque corde me subiicio iudicio, quod ipse adversus hanc Constitutionem emisit, sicut et aliis omnibus iudiciis a Sede Apostolica prolatis et ab Ecclesia receptis, praesertimque Baii, Iansenii et Quesnelli errorum damnationi. Agnosco praetensam Sabaudiae Ecclesiam, cuius Caput constitutus sum, fuisse novam et schismaticam ecclesiam; me, utpote nullatenus missum a Summo Pontifice, cui soli hodie competit ius instituendi Episcopos, in consecratione mea nihil accepisse, praeter characterem mortis, sacrilegii fructum; omnes dispensationes a me concessas fuisse

invalidas; extra parochiam, quae mihi canonice concredita fuerat, non fuisse me legitimum earum partium sacerdotem, quae coram me matrimonium inierunt; absolutiones a me concessas, excepto mortis articulo, esse nullas; eosque, quibus manus imposui, nonnisi characterem sibi aeque ac mihi funestissimum recepisse. Praetenso Montis Albi Episcopatu me abdico: meque ad statum poenitentis abiiciens, veniam precor a Summo Pontifice, cuius contempsi auctoritatem; ab Episcopis Sabaudiae, quorum usurpavi iurisdictionem; a presbyteris, quos seduxi aut ordinavi; a fidelibus, quibus fui scandalo; denique ab ipsissimis patriotis, quos ad perseverandum in suo delirio atque erroribus pro meis viribus induxi.

Ecclesia sancta! cuius violavi unitatem, doctrinam contempsi, auctoritati insultavi; *Ecclesia Apostolica!* sola sacri ministerii depositaria, et a qua nemo se potest seiungere, nisi suae renunciet saluti; *Ecclesia Catholica!* cuius nudum vocabulum Ecclesiam constitutionalem Galliae proscribit; *Ecclesia Romana!* sedes S. Petri, quae possides in eius successoribus Primatum honoris et iurisdictionis; Ecclesia aliarum Ecclesiarum magistra, custos fidei, indefectibile centrum unitatis; Ecclesia Iesu Christi, visibile et semper subsistens potentiae et amoris sui miraculum; Ecclesia depositaria eius caelestis doctrinae, quae vicit infernum, confudit sapientiam humanam, et mundum subiugavit! suscipe infelicem, qui tam longe, tantoque impetu a te recessit. Utinam, si possibile foret, poenitentia, quae me in sinum tuum reducit, notior sit, quam errores qui me e tuo sinu excluserunt; ut fideles de mea conversione edocti, et dolore meo tacti, efficacibus orationibus suis indignitatem meam operiant; impetrentque a Patre misericordiarum, ut ratam in caelo habere dignetur sententiam reconciliationis, quam sollicito in

terra, et quam expecto absoluta cum submissione erga leges et decisiones eius Ecclesiae, in qua volo vivere et mori.

E loco mei secessus XXII. Februarii MDCCXCVI.

Franciscus Therese Panisset.

II.

RISPOSTA

DATA DA MONSIG. LORENZO CALEPPI

li 14 Settembre 1796

Ai Signori Saliceti e Garrau Commissari del Direttorio Esecutivo della Repubblica Francese presso le Armate della Italia e delle Alpi (1).

Il sottoscritto ministro plenipotenziario di Sua Santità Papa Pio VI. ha l'onore di dar parte ai signori Garreau e Saliceti, commissarii del direttorio esecutivo presso le armate francesi d'Italia e delle Alpi, che non avendo mancato di portare egli stesso a Sua Santità li 64 articoli proposti dall' eccellenze loro, colla condizione d'accettarli o rigettarli in intiero, Sua Santità dopo averli ella stessa esaminati e preso il parere del sacro Collegio, ha dichiarato che *nè la religione, nè la buona fede gli permettevano d'accettarli*. In fatti Sua Santità vi ha rilevato col più vivo dolore che, oltre l'articolo ch'era stato proposto

(1) Anno 1796 irrumpente in ditionem pontificiam exercitu Gallorum, Pius VI, ut impendentia mala averteret de pace agendum curavit, etsi numquam bellum indictum fuisset. Induciis a supremo Duce Napoleone impetravit, ea tamen lege, ut legatos mitteret, qui cum *Directorio* uti aiebant *exequutivo* ageret de pace stabili ac duratura. Ad hanc vero ineundam gravissima conventio Pontifici imposita constans sexaginta quatuor articulis, e quibus quartus sic

a Parigi, e col quale si era voluto obbligarla a disapprovare, rivocare ed annullare tutte le bolle, brevi, rescritti apostolici ecc., emanati dall' autorità della Santa Sede e relativi agli affari di Francia dopo il 1789, ve n' erano ancora degli altri, ch' essendo *infinitamente pregiudizievoli alla religione cattolica ed ai diritti della chiesa*, erano per conseguenza inamissibili; senza entrare in discussione intorno a quelli che *sono distruttivi della sovranità de' suoi stati*, nocivi alla felicità e tranquillità de' suoi sudditi, e apertamente contrari ai riguardi dovuti alle altre nazioni e Potenze, rapporto alle quali la Santa Sede non potrebbe più osservare nemmeno la neutralità.

Però Sua Santità è ancora nella ferma confidenza, che il Direttorio esecutivo, tanto per sua propria equità, quanto per riguardo alla mediazione di S. M. il re di Spagna, si compiacerà fare attenzione ai potenti motivi che hanno determinato la coscienza di Sua Santità ad un rifiuto, che *sarà obbligato di sostenere con pericolo anche della sua vita.*

erat: « Sua Santità, con rincrescimento il più vivo, riconosce che » nemici comuni hanno abusato della sua fiducia, e sorpreso la sua » religione, per ispedire, pubblicare e propagare in suo nome pa- » recchi atti, il cui principio ed effetto è contrario così alle vere » sue intenzioni, come ai diritti vicendevoli delle nazioni. Quindi » Sua Santità disapprova, revoca ed annulla tutte le bolle, tutti i » brevi, rescritti, mandamenti Apostolici, lettere circolari o altre, » monitorii, istruzioni pastorali, e in generale qualunque scritto » ed atto emanato dall' autorità della. S. Sede, e da qualunque au- » torità soggetta ad essa intorno agli affari di Francia dal 1789 » fino a questo giorno. »

Latina versio

RESPONSUM

Datum die 14 Septembris 1796

A PRAESULE LAURENTIO CALEPPI

Dominis Saliceti et Garrau Commissariis Directorii Exequutivi Reipublicae Galliarum apud exercitus Italiae et Alpium.

Subscriptus minister *plenipotentiarius* Sanctissimi Papae Pii VI, Dominis Garreau et Saliceti commissariis Directorii Exequutivi apud exercitus Gallorum in Italia et Alpibus significat, se ipsum ad Sanctitatem Suam detulisse sexaginta quatuor articulos ab ipsis propositos adiecta conditione universos admittendi vel reiiciendi: et eandem Sanctitatem Suam, postquam eos articulos expendisset, et sententiam sacri Cardinalium Collegii rogasset, declaravisse *neque per religionem neque per bonam fidem* sibi licere illos admittere.

Uti enim non sine gravissimo animi sui dolore animadvertit Sanctitas Sua, praeter articulum (1) iam Pa-

(1) En articulus quem Summo Pontifici proponere ausum est directorium Exequutivum Reip. Gallicae: « Sanctitas Sua maximo ani» mi dolore, agnoscit communes inimicos fiducia sua abusos fuisse, » suaeque religioni subrepsisse, ad expedienda, publicanda, et pro» paganda Ipsius nomine nonnulla acta, quorum et principia et ef» fectus adversantur tum veris eius intentionibus, tum mutuis na» tionum iuribus. Hinc Sanctitas Sua improbat, revocat et irrita facit » *omnes Litteras Apostolicas sub plumbo vel in forma Brevis,* » *rescripta, vel mandata apostolica, litteras encyclicas vel alias,* » *monitoria, instructiones pastorales, et generatim quodcumque* » *scriptum vel actum, quod prodierit ab auctoritate S. Sedis, et* » *a qualibet auctoritate huic subiecta circa negotia Galliarum* » *ab anno 1789 usque ad praesentem diem.* » Vid. sup. p. 284 in not.

risiis propositum, quo ab eadem contendebatur, ut improbaret, revocaret, et irritas faceret *omnes Litteras Apostolicas sub plumbo vel in forma Brevis expeditas, itemque rescripta etc. ab auctoritate S. Sedis edita, et pertinentia ad negotia Galliarum post annum 1789,* alii quoque erant articuli qui cum catholicae religioni et Ecclesiae iuribus maxime forent exitiabiles, nulla idcirco ratione admitti poterant: quin ad examen ii vocentur articuli, qui supremi imperii sui in suas ditiones, subversivi sunt, felicitati ac tranquillitati subditorum suorum exitiales, et manifeste alieni a respectu habendo ad alias nationes et Principes, in quos Apostolica Sedes, ne ipsam quidem *neutralitatem* servare posset.

Verum Sanctitas Sua firmiter adhuc confidit, Directorium Exequutivum, tam pro sua aequitate, quam pro interventione S. M. Regis Hispaniarum attente consideraturum gravissimas rationes, ob quas, pro sua conscientia, articulos reiicere decrevit, *in qua sententia firmiter sibi manendum sentit, etiam cum vitae suae periculo.*

III.
CIRCULAIRE

Adressée à MM. les évêques françois, réfugiés en Angleterre (1).

Whitehall, 7. Juillet 1798.

Monseigneur,

J'obéis avec compressement aux ordres du roi, en vous envoyant la piece ci incluse, par laquelle il a plu à sa majesté que je vous fisse part de son inten-

(1) Pius VI in Apostolicis Litteris datas ad Episcopos Gallos *pro Christo in Anglia exulantes* commendavit pietatis testimonia, quibus eos Angliae Rex ornabat. Vid. sup. p. 194.

tion que vous ne soyez pas assujéti aux réglemens que les circonstances du moment ont rendu nécessaires à l'égard des étrangers. Je ne puis que me persuader, monseigneur, qu'en recevant cet acte de sa majesté comme une preuve des sentimens dont elle veut bien distinguer vos qualités personnelles et votre rang, vous y reconnoîtrez également le témoignage que sa majesté veut bien donner de la satisfaction avec laquelle elle a vu la conduite exemplaire du clergé confié à vos soins. J'ai l'honneur d'être avec une très-haute considération,

Monseigneur,

Votre très-humble
et très-obéissant serviteur,
Portland.

Réponse de M. l'archevêque de Narbonne.

9 Juillet 1798.

Mylord Duc,

J'ai reçu avec bien de la sensibilité la lettre dont vous m'avez honoré, en date du 7 de ce mois. Je vous supplie de mettre aux pieds du roi l'hommage de la vive et respectueuse reconnoissance que sa bonté m'inspire. Elle a produit le même effet sur le cœur de tous mes collégues, et nous sommes encore plus touchés du témoignagé distingué de satisfaction que vous nous transmettez de la part de sa majesté, que du bienfait qui l'accompagne. La naissance seule fait les sujets: l'humanité, la bienfaisance, la protection généreuse, font des serviteurs fidèles et affectionnés, et à ces titres nous osons le disputer aux plus dévoués sujets de sa majesté, de zele et d'ardeur pour

sa prospérité et pour sa gloire. J'ai l'honneur d'être avec le plus respectueux attachement,

Mylord duc,

Votre très-humble et très-obéissant serviteur,

Dillon, Arch. de Narbonne.

IV.

EPISTOLA

ARCHIEPISCOPORUM ET EPISC. GALLIARUM IN ANGLIA PRO CHRISTO EXULANTIUM (1)

AD SUMMUM PONTIFICEM

PIUM VI.

Beatissime Pater.

Ut primum hoc nefando schismate, quod apud nos invexit illa recens eversionum lues tam altaribus ipsis quam soliis regum et imperiis infensissima, dilaceratam se sensit Ecclesia Gallicana, non stetit in ambiguo, quin protinus ad eum, cui donatum est confirmare fratres suos, fidenter confugeret. In paterno Vestrae Sanctitatis sinu curas et angores deposuimus, cum indubitata spe, tot inter dolorum et difficultatum causas, nobis inde non minus remedii quam solatii et levaminis adfuturum.

Ab iis fundata sancti Evangelii praeconibus, quos primi Beati Petri successores in Galliam misere, nostra illa Francorum Ecclesia per suam constantem cum Sede Apostolica communionem usque nunc inconcussa permansit, et eo felici nexu, qui quidem est genuinae Catholicae unitatis tessera, fidei integritatem

(1) Vid. sup. pag. 182.

servavit illibatam. Unde autem suum robur, hinc etiam sibi recuperandae salutis non degener expectatio. Pro certo scilicet habebat, sedata semel hac ingenti tempestate gregibus aeque ac pastoribus calamitosa, ex eodem unitatis centro emersurum esse quendam divinae faustitatis radium, qui non modo singula recrearet, sed etiam ampliori virtutum et honoris luce omnia quaeque collustraret.

In spem tanti beneficii versabatur indesinenter ante oculos nostros immensa illa, nec interrupta umquam, antecessorum vestrorum series, qui mystici navigii clavum cum gloria tenuere. Alii quidem eloquentia et ingenio, alii eruditione, alii sanctitate et diverso virtutum genere pro varietate temporum claruerunt. At Romam iusto et leni imperio gubernasse, legibus temperasse, beneficiis devinxisse, tum veteribus tum novis artium monumentis decorasse, quod est magni principis; at Ecclesiam doctrina simul et pietate et prudentia et imperterrita animi magnitudine, inter difficillimas rerum angustias fulcire, solari et regere, quod est optimi pastoris: haec, Beatissime Pater, haec vestra laus est, hoc pontificatus vestri decus et ornamentum.

Moestas solabamur his mentes cogitationibus, cum sceleratum illud fulmen, quod nos de sedibus disiecit praecipites, capiti vestro pariter impendens, ictu repetito tonat, ardet, irruit et ipsi Ecclesiae extrema minitatur, si fas esset ut portae inferi adversus eam prevalerent.

Cum temporibus antiquis Italiam barbari devastarunt, et arcem Christiani orbis Romam subegere, sacris saltem Pontificibus pepercit effera eorum barbaries. Quin ad aspectum magni illius divi Leonis, qui fuit unus ex antecessoribus vestris et vestrum exemplar, stetit Attila ipse venerabundus, et praesente

tanti praesulis annosa gravitate, tota cecidit victoris ferocitas. Quid ergo nobis lugendum magis quam quod de nostra Gallia, quae nuper regem suum et Christianissimum et Ecclesiae natu maiorem appellare gloriabatur, eruperint homines, qui, per debacchantem impiae philosophiae dementiam, subito evaserint Gothis et Vandalis ipsis immanitate crudeliores? Qui fieri potuit ut homines longo religionis aut saltem innatae cuiusdam humanitatis usu informati, citius, quam incultae et hispidae natura nationes, eum exuerint reverentiae sensum, quem vi blanda sibi attrahere videbatur venerabilis Pastor, in quo senilis maiestas, augusta frons, dignitatis splendor, tot pacificae dotes, constans et elata mens in adversis, virtutum denique omnium sacer comitatus caeleste quoddam et divinum spirabant?

Inde luctus noster, inde moeror, inde cor nostrum anxie pavitans, et assidua ad Dominum deprecatio ut mittat Angelum suum bonum, qui te salvum facere, solari, comitari velit, ducere ac reducere.

Sub hac tanta malorum congerie, nobis tamen, Beatissime Pater, superest aliquid, quod mirum in modum sublevat animos. In Catholica doctrina ratum quippe est et divinitus statutum, fidem Petri numquam defecturam esse, imo usque ad finem saeculorum permansuram. Sublimis illa Summorum Pontificum sedes et columna veritatis procellosis impiorum hominum affectibus et scelerum aestu poterit quidem interdum concuti, iactari, sed numquam funditus avelli. Ubicumque terrarum fuerit Pontifex, qui canonica lege ius et sedem teneat illius, cui a Christo Domino dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* et rursum: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* ibi et erit idem centrum unitatis, quod assidue debeant cete-

rae Ecclesiae consulere, venerari, eique radicitus adhaerere.

Alta sane et incomprehensibilia sunt iudicia Dei, at veritas eius manet in aeternum. Stabit ergo, Beatissime Pater, Tua indefectibilis Cathedra, et Tu ex altissimo illo gradu, tot inter rerum humanarum vicissitudines, eris universo orbi spectaculum ingens, forma gregis, apostolici vigoris norma, et cuilibet homini christiano fidei et constantiae memorabile simul et efficax exemplum. Hac freti spe, hoc mentis affectu tuis affusi genibus apostolicam benedictionem enixe rogamus.

Sanctitatis Vestrae

Devotissimi et obsequentissimi Filii

Archiepiscopi et Episcopi Gallicani in Anglia nunc pro Fide et Rege exulantes.

Arthurus Richardus Archiepisc. Narbonensis.
Ioannes a Deo Raymundus Archiepisc. Aquensis.
Ludovicus Franciscus Episc. Atrebatensis.
Iosephus Franciscus Episc. Montispessulanensis.
Ioannes Franciscus Episc. Leonensis.
Emmanuel Aloisius Episc. Petrocoriensis.
Petrus Augustinus Episc. Abrincensis.
Henricus Benedictus Episc. Usetiensis.
Augustinus Renatus Episc. Trecorensis.
Segeleus Episc. Ruthenensis.
Carolus Eutropius Episc. Nannetensis.
Philippus Franciscus Episc. Engolismensis.
Antonius Eustachius Episc. Convenarum.
Ludovicus Mathias Episc. Trecensis.

V.

ISTRUZIONE

Che si trasmette da Monsig. Pro-Vicegerente a quella parte del Clero, che verrà richiesta di prestare il giuramento per i Funzionarii nell' articolo 367 della Costituzione Romana.

Interessando sommamente che il Clero di Roma abbia le massime stesse rapporto al giuramento riportato nell' art. 367 della Costituzione Romana nei termini seguenti: « Giuro odio alla Monarchia ed all'Anar» chia, fedeltà e attaccamento alla Repubblica ed alla » Costituzione, » la di cui prestazione si vuole ora esigere da tutto il Clero o dai Parrochi, ci crediamo in preciso dovere di avvertirvi non esser lecito prestare puramente e semplicemente il giuramento suddetto.

Ma siccome interessa anche moltissimo che la Repubblica sia persuasa della rettitudine delle massime, le quali ha il Clero di Roma relativamente all' attuale Governo repubblicano, conformi in tutto all' insegnamento della Cattolica Religione, indi potrà con sicura coscienza ciascuno di voi giurare fedeltà e soggezione alla Repubblica che attualmente comanda, essendo stato uniforme insegnamento de' SS. Padri e della Chiesa, che sia dovuta fedeltà e subordinazione a chi, secondo la varietà de' tempi, ha in mano le redini del Governo, ossia a chi attualmente comanda.

Potrà inoltre ciascuno di voi giurare, che non prenderà parte in qualsivoglia congiura, complotto o sedizione pel ristabilimento della Monarchia e contro la Repubblica che comanda. Potrà anche senza difficoltà giurare odio all' Anarchia, essendo questo uno stato

*

di disordine. Finalmente potrà giurare fedeltà e attaccamento alla Costituzione, salva peraltro la Cattolica Religione che professa, cioè la Religione Cattolica Romana; quale riserva non potrà ragionevolmente rigettarsi dalle Autorità che comandano, giacchè è in tutto conforme all'atto del Popolo Sovrano dei 15 Febbraio 1798, con cui il Popolo Romano riunito innanzi a Dio e al mondo tutto, con un solo animo ed una sola voce dichiarò di volere salva la Religione, quale di presente venera ed osserva, cioè la Cattolica Religione. Ecco pertanto la formola di giuramento che potrà ciascuno di voi con sicura coscienza prestare: « *Io NN. giuro, che non avrò parte in qualsivoglia congiura, complotto o sedizione pel ristabilimento della Monarchia, e contro la Repubblica che attualmente comanda; odio all' Anarchia, fedeltà e attaccamento alla Repubblica ed alla Costituzione, salva peraltro la Religione Cattolica Romana.* »

Questa formola qui sopra espressa si è giudicato doverla proporre al Clero, ad oggetto che siano tutti « *unius labii, et sermonum eorundem* » dopo aver Noi con somma maturità, e previo il sentimento e consiglio di Persone ragguardevoli tanto per la dottrina teologica, quanto per la loro pietà, combinati i termini di essa al livello delle massime ed insegnamenti della Cattolica Religione.

Latina versio

INSTRUCTIO

Quam R. P. D. Vicesgerens ad eos e Clero mittit, a quibus forte exquiretur iuramentum Officialibus praescriptum art. 367 Constitutionis Romanae.

Cum maximi momenti sit, ut Clerus Romanus idem santiat circa iuramentum relatum in articulo 367 constitutionis Romanae his verbis: « Iuro odium monar» chiae et anarchiae; fidelitatem et adhaesionem Rei» publicae et Constitutioni, » quod nonnulli e clero praestare modo compellentur, officii nostri omnino esse censemus, universos monere, nullo pacto licere iuramentum illud pure et simpliciter edere.

At quoniam maxime interest, perspectam esse Reipublicae rectitudinem principiorum, quae doctrinis catholicae religionis omnino conformia profitetur clerus romanus circa hodiernum reipublicae gubernium; idcirco unusquisque vestrum poterit tuta conscientia fidelitatem et subiectionem iurare Reipublicae, quae modo imperat; cum concors doctrina sit SS. Patrum et Ecclesiae, illi debitam esse fidelitatem et subiectionem qui pro temporum vicissitudine Gubernium moderatur, illi videlicet, qui actu imperat.

Praeterea fas erit unicuique vestrum iurare, se nullam partem habiturum in qualibet coniuratione, coitione, vel seditione ad instaurandam monarchiam, et contra imperantem Rempublicam. Poterit etiam absque difficultate iurare odium adversus anarchiam, cum haec status sit perturbationis. Tandem poterit iurare fidelitatem et adhaesionem Constitutioni, salva tamen catholica religione quam profitetur, scilicet re-

ligione catholica romana: quam reservationem non poterunt rationabiliter reiicere qui imperant, quoniam in omnibus conformis est actui Populi imperantis Principis diei 15 Februarii 1798, quo populus Romanus in unum conveniens coram Deo et universo terrarum orbe, uno spiritu unaque voce declaravit, salvam velle se religionem, quam in praesentia veneratur et servat, scilicet catholicam religionem. En igitur formula iuramenti quod unusquisque vestrum tuta conscientia praestare poterit: « *Ego N. N. iuro, me nullam partem habiturum in qualibet coniuratione, coitione, vel seditione pro instauratione monarchiae et contra rempublicam, quae actu imperat; odium adversus anarchiam, fidelitatem et adhaesionem Reipublicae et Constitutioni, salva tamen religione catholica romana.* »

Existimatum est hanc formulam superius hic expressam Clero proponendam esse, ut sint omnes unius labii et sermonum eorundem, postquam Nos summa maturitate ac praevia sententia et consilio virorum, quos et theologica doctrina et pietas commendant, eiusdem verba digessimus ad tramitem principiorum ac regularum catholicae religionis.

Hac die II. Ianuarii MDCCXCIX.

Octavius Boni
Archiep. Nazianzenus Pro-Vicesgerens.

VI.

SECONDA ISTRUZIONE

Del medesimo Monsignor Boni, ossia dichiarazione della prima (1).

Essendomi giunto a notizia, che molti credono non potersi da loro prestare il giuramento civico nei precisi termini della Costituzione, unicamente a cagione della mia Istruzione, la quale intendono come un preciso comando del loro Vescovo; dichiaro che la definizione della quistione dipende dai decreti della S. Sede, la quale non ha ancora in forma solenne manifestato il suo sentimento. Dichiaro in secondo luogo, che non ho inteso di comandare assolutamente o di prescrivere una formola da doversi unicamente tenere da ciascuno, ma di avere solamente voluto procurare quella concordia, che tanto è conforme allo spirito della nostra santa Religione, che tutti siamo *unius labii, et sermonum eorundem.* Che però quando ciascuno sia pronto a conformarsi ai decreti della S. Sede in caso di definizione solenne, potrà intanto seguire la sua particolare sentenza, senza notare o tacciare il sentimento degli altri, e per usare le parole di S. Paolo, *unusquisque abundet in sensu suo.*

Ottavio Boni Arciv. Nazianzeno
Pro-Vicegerente.

(1) Dopo la prima istruzione di Monsig. Boni fu ordinato ai Lettori delle Università del Collegio Romano e della Sapienza di prestare il giuramento, ed essendo ricorsi a Monsignor Boni Egli giudicò di dover dare questa seconda Istruzione.

Latina versio

ALTERA INSTRUCTIO

R. P. D. Pro-Vicesgerentis, seu prioris declaratio super iuramento.

Cum acceperim multos existimare, iuramentum civicum ipsis verbis in Constitutione praescriptis non posse se praestare solummodo causa meae instructionis, quam considerant uti absolutum sui Episcopi mandatum; declaro quaestionis definitionem pendere a decretis S. Sedis, quae nondum sententiam suam solemniter manifestavit. Deinde declaro, me noluisse absolute praecipere aut praescribere unicam formulam, qua sola omnes uti debeant: at solum sategisse illam concordiam procurare, quae spiritui nostrae sanctae religionis adeo conformis est, ut omnes sint *unius labii et sermonum eorundem.* Quapropter, dummodo unusquisque promptus sit in casu solemnis definitionis obedire decretis S. Sedis; suam interim sequi poterit peculiarem sententiam, quin tamen aliorum opinioni notam ullam inurat: atque ut verbis utamur S. Pauli *unusquisque abundet in sensu suo.*

Octavius Boni
Archiepiscopus Nazianzenus
Pro-Vicesgerens.

VII.

RITRATTAZIONE

Della seconda Istruzione emanata dal R. P. D. Vicegerente.

Dopo aver Noi ricevuto dal S. Padre il Breve dei 16 Gennaio coll' ordine di fare ad ognuno nota la di Lui decisione, ci crediamo in preciso dovere di tras-

mettere alla nostra Segreteria una copia del Breve, perchè sia a tutti manifesto, intendendo colla presente di rivocare ed annullare in tutto e per tutto, come infatti annulliamo e rivochiamo la nostra seconda dichiarazione fatta sul giuramento in occasione che fu questo esatto dai Professori del Collegio Romano, giacchè in questa materia dichiariamo la nostra obbedienza e sommissione alle decisioni del Sommo Pontefice, a cui spetta il decidere tal quistione. In fede di che abbiamo sottoscritto la presente di nostro proprio carattere questo dì 23 Febbraio 1799.

Ottavio Boni Arciv. di Nazianzo
Pro-Vicegerente.

(È stata affissa alla Secreteria del Vicariato di Roma).

Latina versio

RETRACTATIO

Alterius Instructionis super iuramento editae a R. P. D. Vicesgerente.

Postquam accepimus SSmi Domini Nostri Apostolicas Litteras in forma Brevis datas die 16 Ianuarii, simulque mandatum omnibus significandi Eius decisionem, nostri officii esse ducimus exemplum praedictarum Litterarum ad nostram Secretariam mittere, ut omnibus innotescant. Et praesenti actu revocare et irritare volumus in omnibus et per omnia, quemadmodum revera irritamus et revocamus, secundam nostram declarationem, quam super iuramento edidimus, quando illud a Professoribus Collegii Romani expetitum est: quoniam in hac re nostram obedientiam et submissionem declaramus decisionibus Summi Pontificis, cuius est hanc quaestionem definire.

In quorum fidem praesentibus manu nostra subscripsimus. Hac die XXIII Februarii MDCCXCIX.

Octavius Boni
Archiepiscopus Nazianzenus
Pro-Vicesgerens.

VIII.

PROTESTA O DICHIARAZIONE

DI VINCENZO MARIA ALTIERI

GIÀ CARDINALE DI S. CHIESA (1).

Io sono vicino alla morte, e la Providenza giustamente mi nega l'unico conforto che basterebbe a tranquillizzarmi perfettamente in questo ultimo frangente: un perdono del S. Padre alla mia passata debolezza è tutto ciò che desidero. Ma la supplica che da tanto tempo ne avanzai al grande ed immortale Pio VI, mio benefattore, per mezzo dell'eminentissimo signor cardinale Giovan-Francesco Albani, decano del S. Collegio, non potè giungere ai di lui piedi, mentre lo strascinavano per la Francia gl' inimici, ed errava per l'Adriatico il Porporato mediatore. Muoio prima che sia eletto il suo successore: nemmeno da lui posso ottenerlo. L' imploro dunque doppiamente da Dio, e dal Sacro Collegio, di cui una volta fui membro, benchè indegno, ancor io: ah lo fossi ancora adesso! Lo chiedo alla Chiesa tutta, scandalizzata dalla mia viltà. Io ho rinunziato il cappello cardinalizio, quel sacro cappello tinto nel sangue di Gesù Cristo, che mentre mi decorava sopra ogni mio merito, m' impegnava vivamente a sostenere fino all'effusione del sangue la gloria della Chiesa. Io l'ho rinunziato per sottrarmi alla prigionia ed all' esilio, che mi veniva minacciato, se

(1) Vid. supr. pag. 176. Apostolicas Litteras, quibus Pius VI admisit eius abdicationem e Cardinalatu.

non deponeva la sacra porpora. Ê vero che mi trovava gravemente infermo, quando mi fu fatta l'indegna proposta, e che la malattia unita all'età grave colmò quell'orrore che mi tradì: ma io doveva lasciarmi strappare dal letto, doveva espormi a morir per istrada, doveva soffrir tutto, piuttosto che abbracciare il mezzo onde ho comprati alcuni altri mesi d'una vita infelice, che ora è sul finire. Mio Dio, perchè non mi giunse a tempo la risposta del Sommo Pontefice? Quei caratteri di Pietro avrebbero confortato il debole fratello, prima della caduta, quanto lo trafissero giunti dopo di essa. Protesto a tutti gli eminentissimi signori cardinali, che una volta ebbi l'onore di considerare come fratelli, e da me medesimo me ne sono privato (ah non ne era degno!), protesto a tutta la Chiesa, ed a Roma principalmente, che io son confuso della mia debolezza, che l'ho pianta, e la piango amaramente in questo punto ancora. Sappiano però tutti che se ho ricusato l'onore del Cappello, quando m'avrebbe esposto a prigionia, ad esilio, e se non sono stato a parte degl'incomodi e dei pericoli dei viaggi degli altri gloriosissimi cardinali, mi sono data da me medesimo la pena di un carcere rigoroso in casa mia. Per necessità di salute e per condiscendenza, mutai aria per qualche tempo; ma poi mi sono involato agli occhi di tutti; ho tentato di nascondermi, se era possibile, al sole stesso; e se non ho pianto la mia viltà, quanto Pietro la sua negazione, almeno l'ho bramato. La morte stessa ricevo nella mia volontaria prigionia come pena del mio peccato; e se lo posso dire, allora sarò pienamente beato nell'altra vita, giacchè spero la gloria per la misericordia infinita di Dio e i meriti di Gesù Cristo, quando saprò di essere stato perdonato nel mondo. Prego intanto i miei amatissimi congiunti di far pubblici colla stampa questi miei ultimi sen-

timenti, e di farli giungere all'eminentissimo signor cardinale Albani, decano. Egli li presenti al nuovo Sommo Pontefice, gli baci i santi piedi a nome mio, gli domandi una plenaria indulgenza del mio fallo; e tutti gli eminentissimi signori cardinali preghino per carità riposo e pace a quest'anima, la quale se cadde nella debolezza di rinunziare alla sacra dignità cui essi aggiungono lustro colla loro costanza, si è conservata però sempre fedele a Dio, alla Fede, alla Chiesa, e parte dal mondo nel bacio del Crocifisso.

Roma, li 8 febbraio 1800.

V. M. Altieri.

Latina versio

PROTESTATIO SEU RETRACTATIO

VINCENTII MARIAE DE ALTERIIS

OLIM S. R. E. CARDINALIS

Imminet iam mihi hora mortis, iusteque Dei providentia unicum solatium mihi negat, quod ad perfectam meam tranquillitatem in hoc supremo discrimine sufficeret. SSmi Patris venia praeteritae meae pusillanimitati, illud unum est quod desidero. Verum supplex petitio, quam per Eminentissimum Dom. Cardinalem Franciscum Albani sacri Collegii Decanum, iamdiu dedi ad magnum et immortalem Pium VI meum benefactorem, ad huius pedes delata non est; quoniam ipse in Galliis ab hostibus raptabatur, et in Adriatico errabat intercessor Cardinalis. Morior antequam Successor eius eligatur: neque ab isto veniam obtinere possum. Hanc igitur exoro et a Deo et a sacro Cardinalium collegio; quorum e numero unus quamvis indignus et ipse olim fui; utinam et nunc essem! Hanc

oxoro ab universa Ecclesia, cui scandalo fuit pusillanimitas mea.

Cardinalitium galerum renuntiavi, sacrum illum Galerum Iesu Christi sanguine tinctum, qui me dum praeter omne meritum decoraret, strenue quoque excitabat ad tuendam Ecclesiae gloriam usque ad sanguinis effusionem. Illum renunciavi, ut carceri et exilio me subducerem, quae mihi imminere dicebantur, ni sacram Purpuram exuissem. Equidem, cum indignum hocce consilium suggestum est, gravi correptus morbo decumbebam, et gravi aetati coniuncta infirmitas horrorem cumulavit a quo proditus fui: at pati potius debuissem ut a lectulo abriperer, ut in itinere vitam conficerem; omnia mihi potius ferenda erant, quam propositum sequi consilium, quo aliquot alios menses mercatus fui vitae infelicis, cuius nunc imminet finis. Bone Deus, cur non tempestive delatum mihi est responsum Summi Pontificis? Illud Petri scriptum pusillanimem fratrem ante lapsum confirmasset; quod redditum postea tam acerbe eius animum laceravit.

Protestor omnibus Eminentissimis Dominis Cardinalibus, quos olim uti fratres habere honos mihi fuit (heu dignus non eram): protestor universae Ecclesiae, et Romae imprimis, erubescere me de mea pusillanimitate, hanc me deflevisse, et in hac etiam hora amare deflere. Norint autem universi, quod si honorem Cardinalitiae dignitatis, cum me carceri et exilio obnoxium redderet, abdicavi, et si aerumnas atque itinerum pericula, quae alii gloriosissimi Cardinales passi sunt, minime participavi, arcti tamen in domo mea carceris poenam ipsum me mihi irrogasse. Valetudine urgente, utque ut aliis acquiescerem, per aliquod tempus caelum mutavi; postea vero me omnium conspectui subtraxi; conatus, si fieri potuisset, ipsi soli me

occulere: et si animi mei abiectionem non tantum deflevi, quantum Petrus negationem suam, illud tamen exoptavi. Mortem ipsam in voluntario meo carcere excipio uti poenam meae culpae: et tunc, si ita loqui fas est, in altera vita beatissimus ero (quandoquidem ex infinita Dei misericordia, et meritis Iesu Christi aeternam gloriam spero), cum novero culpae veniam datam in terris mihi fuisse. Interim carissimos meos consanguineos precor, ut hos extremos animi mei sensus typis evulgent, atque ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Albani mittant sacri Collegii Decanum. Hic novo Summo Pontifici eos offerat, Illius pedes nomine meo osculetur, plenariam expetat peccati mei indulgentiam: omnesque Eminentissimi Domini Cardinales quietem et pacem quaeso animae meae precentur: quae si eo abiectionis devenit, ut sacram dignitatem renunciaret, cui ex eorum constantia tantum decoris accedit, semper tamen Deo, religioni et Ecclesiae fidem servavit, atque in osculo Crucifixi a mundo discedit.

V. M. Altieri.

IX.

PROTESTA

DI TOMMASO ANTICI

GIÀ CARDINALE DI S. R. C. (1)

A

PIO VII. PONTEFICE MASSIMO

Beatissimo Padre

Rinunziai, Padre Santo, la dignità cardinalizia, e la mia rinunzia fu assoluta e perpetua. Ma chiamo Dio in testimonio che tale mia rinunzia fu ben lon-

(1) Vid. supr. pag. 174. Apostolicas Litteras, quibus Pius VI eius abdicationem e Cardinalatu admisit.

tana da qualunque mia adesione all'usurpato governo ed ai sistemi d'allora: che anzi col mio costante contegno ne ho sempre mostrata, e allora e in appresso, la più decisa alienazione. Non si era ancora fatto alcun insulto, nè oltraggio alle inviolabili persone de'signori Cardinali, allorchè fui inaspettatamente avvertito da chi ne era ben consapevole, che quanto prima sarei stato arrestato e tradotto nelle pubbliche carceri, per essere poi deportato in remoto paese con la privazione di tutti i miei beni. Fu il timore, lo confesso e dichiaro, fu il solo timore di una vita indigente e infelice che m' indusse a rinunziare, dacchè potei conoscere che ad evitare l'esecuzione imminente della confidatami risoluzione di quel nuovo governo, non mi restava altro mezzo, fuorchè quello di non essere più Cardinale.

Non avvertii in quel momento, e avrei pure dovuto avvertire, che la dimissione del Cardinalato in sì fatte circostanze di governo e di sistemi, avrebbe potuto servire d' inciampo ai deboli e agl' indecisi, e di trionfo ai seguaci dell'uno o degli altri, attribuendola i primi, ancorchè erroneamente, ed i secondi malignamente ad adesione di un Cardinale di santa Chiesa a quel nuovo criminoso sistema; quando appunto per non darne motivo, i doveri del proprio stato m' imponevano l'obbligo di sofferire con coraggio apostolico qualunque perdita delle sostanze, qualunque strazio della persona, e qualunque più penoso tenore di vita, piuttosto che mancare alle obbligazioni e alla dignità di Cardinale col dimetterla, in quelle circostanze, per vile timore di una vita infelice.

Non l'avvertii in quel momento, e avrei pure dovuto avvertirlo: ond'è ch' io debbo conoscere che indegno com' ero al cospetto di Dio, per le molte mie colpe, di occupare la più eminente dignità della Chie-

sa, Iddio permise che un velo agli occhi della mia mente mi nascondesse in quel momento l'importanza e gli effetti di tale mia dimissione, sicchè avessi a privarmi io stesso di sì gran dignità, della quale ero indegno agli occhi suoi. Perciò a riparo e a disinganno di qualunque sinistra interpretazione, o erronea negli uni, o maligna negli altri, alla quale io potessi aver data occasione o motivo colla mia rinunzia in quelle circostanze, io condanno solennemente innanzi alla Santità Vostra il mio errore, e l'indoveroso timore che m'indusse ad errare. Ne chieggo perdono a Dio, al sacro collegio de' Cardinali e a tutti li fedeli. Ma, dopo Dio, lo chieggo principalmente alla Santità Vostra, qual Vicario di Cristo in terra e Capo visibile della sua Chiesa, e qual solo dispositore della dignità cardinalizia. Lo imploro prosteso a terra con l'animo a' suoi santissimi piedi, anche in prova della mia venerazione e del mio costante ossequio per la sacra persona di Vostra Santità, qual Sommo Pontefice e qual mio Sovrano, implorando nel tempo stesso col più devoto fervore l'apostolica sua benedizione.

Recanati, 13 settembre 1811.

Antici.

Latina versio

PROTESTATIO

THOMAE ANTICI

OLIM CARDINALIS S. R. E.

AD

PIUM VII. PONT. MAX.

Beatissime Pater

Dignitatem Cardinalitiam renunciavi, Pater Sancte; et mea abdicatio absoluta fuit et perpetua. Deum autem testem invoco ab ea quam longe abfuisse quamvis licet remota adhaesione mea Gubernio invasori, vel *sistematibus* temporis illius: immo etiam constanti mea agendi ratione et tunc et postea ab his vel maxime alienum me ostendi. Necdum sacris Cardinalium personis iniuria vel contumelia illata fuerat, cum improviso monitus fui a viro rei apprime conscio, me quantocius comprehensum iri et in carceres abducendum fore, inde vero omnibus meis bonis spoliatum in longinquam regionem esse deportandum. Timore egentis et infelicis vitae, fateor et declaro, solum hoc timore adductus fui, ut abdicarem; quandoquidem novisse potui nullum superesse medium subducendi me a praedicti consilii exequutione, quam ut iam amplius Cardinalis non essem.

Tunc non animadverti, advertendum tamen erat, quam facile Cardinalatus abdicatio in illis Gubernii et sistematum circumstantiis causa scandalo esse posset pusillis et dubiis, triumphi autem occasio alterutrius sectatoribus: etenim abdicatio a primis quidem illis

erronee, ab aliis vero maligne adscripta fuisset adhaesioni Cardinalis S. Ecclesiae novo illi scelesto sistemati. Et revera ne huic suspicioni daretur causa, debitum erat conditionis meae, quamcumque potius bonorum amissionem, quaelibet personae incommoda, et quamvis molestam vitae conditionem apostolico animo perferre, quam deesse obligationibus ac dignitati Cardinalis, hanc abdicando in illis rerum adiunctis ob vilem timorem infelicis vitae.

Haec quidem, quae tunc erant perpendenda non consideravi: idcirco agnoscere debeo, permisisse Deum, coram quo propter meas culpas eminentissima Ecclesiae dignitate eram indignus, ut oculi mentis meae velo quodam obducerentur, et eo temporis momento gravitatem et effectus meae illius abdicationis non viderem; et sic ego ipse ea me privarem dignitate, qua in oculis eius eram indignus. Idcirco, ut tollam quamvis erroneam vel malignam suspicionem, cui occasionem vel causam abdicatio mea in illis rerum adiunctis praebuerit, coram Sanctitate Vestra solemniter condemno errorem meum et indebitum timorem, qui me ad errandum impulit. Eius veniam peto a Deo, a sacro Cardinalium Collegio, ab universis Christifidelibus. Verum post Deum hanc veniam potissimum peto a Sanctitate Vestra, uti a Vicario Christi in terris et visibili Ecclesiae suae Capite, atque unico Cardinalitiae dignitatis dispositore. Hanc exoro humi prostratus in spiritu ad vestros sanctissimos pedes, etiam in argumentum mei constantis obsequii erga sacram personam Sanctitatis Vestrae uti Summi Pontificis meique Principis, simul implorans devotissimo fervore apostolicam Vestram benedictionem.

Recineti XIII. Septembris MDCCCXI.

Antici.

PARENTALIBUS

PII SEXTI

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI

ORATIO

AD EMINENTISS. AC REVERENDISS. S. R. E. CARDINALES

A CAESARE BRANCADORO

ARCHIEP. NISIB. ET SAC. CONG. DE PROP. FIDE
A SECRETIS

Habita Venetiis in Patriarch. Basilica
Prid. Kal. Nov. MDCCIC.

X.

ORATIO

Quod praeclaro semper Divinae Sapientiae factum consilio est, ut quandocumque vehementior et acrior in Sacrosanctam Ecclesiam Dei sese expediret hostium impetus, iamque res in extremo positae viderentur esse discrimine; tunc maius quoddam velut affulgeret sidus, cuius luce ductuque suum Navis cursum inter luctantes ventos tenere posset: id, Patres eminentissimi ac reverendissimi, factum hoc maxime tempore fuisse, tum vestro in primis iudicio, ad quos tanta pars discriminis pervenire debuit, tum omnium bonorum consensione compertum est. Nam nec acerbiora esse potuisse tempora, nec acerbissimis temporibus aptiorem et opportuniorem Pio Sexto desiderari Pontificem potuisse; quis est qui iamdudum aut non viderit, aut non senserit, aut potius suo ipso metu, fuga, periculo, non didicerit? Quamobrem gratias Deo Optimo Maximo summas agebamus, nosque in summo rerum omnium certamine consolabamur, qui quod antea nemini Pontificum tribuisset, ut diuturnitate Summi Sacerdotii proxime Principem Apostolorum sequeretur; id uni Pio Sexto tribueret: atque ita tribueret, ut prodigii manifesta ratio et bonis esset consolationi, et improbis aegritudini, molestiae, terrori. Nunc, Eminentissimi Patres, et lumen illud extinctum est, et ipsi ad complorandam calamitatem convenistis, et nos ut una comploraremus convocastis. At enim quis

luctus, quis moeror, quae tristitia sit omnium ordinum; et vestra, et omnium ora vultusque patefaciunt. Ego vero quo me vertam, Patres amplissimi, quem in hac tanta doloris acerbitate honestissimo iudicio vestro eum esse voluistis qui de Pontifice omnium Maximo dicerem, cuius de laudibus difficilius est non audire toto terrarum orbe qui non copiose loquatur, quam invenire qui loqui se speret satis copiose, ac pro dignitate posse? Sed enim iudicio, et auctoritati vestrae parendum fuit. Quid igitur potius faciam, quam quum apud omnes constet, summam ipsam, et complexionem praeclarissimarum omnium virtutum inesse oportere animo Viri, qui diu sese ad omne martyrii genus informaverit, paraverit, erexerit; ut, non quidem ostendam id quod nemo dubitat, sed commemorem, ut potero, Pio Sexto Pontifici Optimo Maximo et praestantissimum ad nobilissimum Martyrium animum, et nobilissimi Martyrii decus a Deo fuisse tributum.

Ac ea quidem, quae omnem reliquam animi magnitudinem Pontificis declarabant, tota mihi praetereunda erunt. Fuerit Pius suavitate morum, facilitate, comitate, candore mirabilis, sibique semper et in privata fortuna, et in culmine honorum constans et similis, e quibus pateat magno et excelso animo nec quidquam defuisse, quum privatus fuit, nec quidquam imperii, ac Sacerdotii maiestate accessisse. Laudent etiam in Imperio alii clementiam, alii iustitiam, alii susceptarum rerum utilitates, sollicitudines, labores. Commendent alii bonarum omnium artium patrocinia, deductiones aquarum, agrorum purgationes, adiumenta commerciorum, et eius generis multa; quae et magna sunt ipsa per sese, et tantam habent ipsa magnitudine ad perficiendum difficultatem, ut saepenumero satis esse debeat voluisse: atque in ea voluntate fa-

teantur tam magno animo fuisse Pium, ut pares paucos, superiorem habuerit neminem. Sit ea tota laus et summo Principe dignissima, et ea sic Pius excelluerit, ut non modo complures alios, verum etiam se ipse visus fuerit superasse. Nec enim minuendi caussa res summas praetermittendas esse mihi statui. Sed si cum hac magnitudine animi conferuntur, qua res Ecclesiae Catholicae Summus Pontifex aggressus est; eae laudes ab his, quas ob collatas in ipsam curas et sollicitudines consequutus est, ita vincuntur, ac propemodum evanescunt, ut oriente sole reliquus omnis aliorum siderum fulgor excedit, planeque occidit. Ac vellem equidem tantum mihi esset ad dicendum facultatis et temporis, quantum rerum dignitas, et amplitudo postularet. Sed quando et ea vis doloris est, quae sese singultu magis, quam oratione prodere desideret; nec maius quoddam iter ac dignius tanto Pontifice capessere ob angustias possumus; non tam res summas, quam summa earundem capita persequar. Nec enim quisquam est vestrum, Patres amplissimi, qui iam inde ab eo tempore, quo Pius Sextus Pontifex Maximus appellatus est, non viderit atram illam consurgentem, magnaque caeli parte pervagantem nubem, e qua ferox ista procella eruptura erat, quae et Ecclesiae, et bonis omnibus extrema quaeque mala et minitata est, et etiam attulit. Sunt adhuc, atque ut diu sint percupimus, in hoc Augustissimo vestro ordine, qui non aliud obiiciendum fuisse tot tunc impendentibus periculis, quam Pii Sexti pectus statuistis; quorum quam grave, quam iustum, quam necessarium fuerit iudicium, tota consequuti temporis ratio declaravit. Illud ergo restabat agnoscendum, an esset reipsa Pius allaturus animum ad instantia pericula parem ei, quam afferri ab eo posse iudicavistis.

Qua quidem in re quid non est ab eo susceptum atque perfectum, in quo non omnium expectationem vicerit? Erant iam tunc tempora, quibus homines e quovis genere perditissimi, arrepto nuper honesto, nunc ad omne scelus et flagitium composito Philosophorum nomine, imperitam multitudinem teterrimis artibus ad decipiendam atque de omni officii ac virtutis via deiiciendam aggrediebantur. Nihil iam intentatum relinquebatur, quo Catholicae Religionis amor, studium, cultus ab animis omnium demerentur; nihil, quo in Sacerdotes infamia et invidia undique conflaretur; nihil, quo quamplurimis fieri posset persuaderetur, nullum umquam fuisse, aut esse Deum; atque has omnes de Deo et Religione narrationes ineptas esse atque aniles fabulas, quarum pudere ac pigere Philosophos oporteret: iamque unam esse salutis et totius reliquae felicitatis spem atque viam, si homines intelligerent, sese aequo natos esse iure, nec quemquam sive Deum, sive hominem esse, qui in eos dominari posset: eam esse hominibus libertatem a natura tributam, eam et vindicandam, et totis esse viribus asserendam. Huc et clandestinae perditorum hominum statis tum locis, tum temporibus coitiones; et innumerabiles pestiferique libri ab impietatis latibulis erumpentes, novisque ad alliciendum lenociniis perpoliti spectabant, huc pertinebant: haec summa votorum erat novae huius tota Europa bacchantis Philosophiae. Iamque res adeo processerat, ut plane intelligeretur, nihil ei non esse metuendum, qui contra obniti vellet; et quo quisque ceteris aut auctoritate praestaret aut dignitate, hoc ei magis metuendum esse.

In hac tanta et rerum omnium perturbatione, et morum sententiarumque corruptela, quum Pius se unum esse intelligeret, in quem potissimum propter

maxime omnium invisam Pontificis auctoritatem dignitatemque omnia tela coniicienda essent; quid sibi faciendum esse statuit? Me miserum! Nam in eum me venisse locum sentio, unde sese oratio nequeat, ne si integram quidem sibi diem sumpserit, expedire. Quo enim ille sese non vertit, quo non accurrit, quid laborum, sollicitudinum, molestiarum non suscepit, ut grassantem quotidie latius morbum cohiberet, monstraret, evelleret, tolleret? Serpit iam Italia pestis, et quo paratiores habeat adiutores consiliorum, quae paullo post expeditura erat, agnina pelle contectum lupum instruit, qui severioris disciplinae obtentu virus evomat, ac illud in ipsis oculis urbis, et Pontificis propinet? Praesto est Pius, et omni humanitate, benignitate, clementia ovem facere de lupo studet. Nihil benignitate proficitur, atque adeo malus hostium crescit animus, et magnam conflat struem, unde sibi quisque venenum arripiat, omninoque, ut tigres efferantur musica, sic comitate maiores fiunt spiritus? Adest Pius, monitique memor, quo Dominus noster Iesus Christus se rogasse pro Petro testatus est, ut non deficiat fides eius, conversus confirmat fratres suos. Torpent fere, suisque periculis indormiscunt pleraeque Gentes, et Regna, et vix animadvertunt, hanc tantam machinationum molem, quas hostes expedire contra solam Religionem videbantur, in perniciem humanarum omnium rerum convertendam esse, nec tot tantisque motibus aliud quaeri nisi casum, ruinam, interitum Regum, et Regnorum, et totius reliqui cultus, omnisque humanitatis; atque hanc esse consiliorum summam, ut homines esse sese omnes obliviscerentur, et ferarum more vivere vellent? Non cessat Pius, datisque nunc ad Episcopos, nunc ad ipsos Reges amantissimis epistolis, rogando, hortando, instando monet,

ut caveant a periculo. Magnas esse ac opinione maiores, quae pararentur, insidias; earundemque contemptu et negligentia quotidie immanitatem crescere hostium. Nihil esse in Republica suspectius oportere clandestinis conventiculis: nec ullum esse genus hominum, qui quod recte facerent, efferri palam atque in oculos omnium erubescerent: omninoque tenebras numquam nisi ad scelera quaeri; et tristes saepe fuisse nugarum et ludorum specie tragoedias excitatas. Quae quidem et Pastoris vigilantissimi, et Patris omnium amantissimi praeclara monita, utinam ne vel nimis sero commendata et agnita, vel nimis cito comprobata essent eventu, atque hac tota perturbatione ac eversione rerum, quae postea brevi consequuta est.

At Pii magnus animus non modo hanc omnium paene gentium incuriam pervidebat; verum illud etiam intelligebat, si quando incendium excitari et conflagrare coepisset, nullis esse coercendum finibus, totique Italiae vastitatem allaturum. Quos ille hac tot tantorumque malorum praesensione animo angores, quas aerumnas, quae cruciamenta non habuerit necesse est? Et tamen satis esse muneri suo poterat, semel monuisse: quae res ne apud hostes quidem ipsos magnam erat invidiam habitura; quippe qui optime intelligerent, partium esse Pontificis id facere; nec magnopere crimini vertendum esse, si Pontifex esset consiliorum auctor, monitor, adiutor, quae ut daret locus ipse suus et reliqua dignitas postulabant. Urgere, instare, nullo nec loco, nec cessare tempore; hoc crimen erat Pontifici apud homines improbissimos; hoc aestuantem pectoribus iram quasi admotis facibus inflammabat; hoc furentem ulciscendi sitim, magnique edendi exempli libidinem incendebat; in quo sibi praeclaram positam esse gloriam arbitrabantur. Sed Pius urgebat, instabat, nullo nec loco, nec cessabat tem-

pore. Hinc illae irarum minarumque plenae in Pontificem scriptiones, quae statim atque perduellionis monstrum apud Gallos gentem prudentissimam et florentissimam erupit, in publicis tabellis, quae inde in universum terrarum orbem disseminabantur, exstiterunt. Mirabamur, quid ipso perduellionis initio reos tantopere commovisset, ut extrema omnia Pontifici, Ecclesiae Romanae, ipsique Urbi minitarentur; quum non Pontifex, non Ecclesia, non Urbs quidquam fecissent, quo illorum animi offenderentur; nec si facere voluissent, fuisse faciendi tempus potuisset. Nam ante minae eruperunt, quam quidquam factum a quopiam fuerit. Sed nimirum sciebant perduelles, quantum nefariis eorum conatibus Pontificis non intermissa constantia restitisset. Ita statim atque compressa diu rabies exserere se se sine metu potuit; impatiens sui, et furore amens, ne tempus quidem exspectare potuit, quod necessarium erat, ut arrepta quadam publica querelae atque irarum occasione, inepta saltem, stulta, ridicula, se se quodammodo tegeret, ostenderetque, iure quae minabatur esse aliquando suscepturam. Has autem minas perditorum hominum, quae quoquoversus editae typis proferebantur, erantque vel lippis et tonsoribus notissimae, unusne Pius est, qui numquam aut audierit, aut legerit, planeque nescierit? Imo vero ipse unus maxime et sciebat, et vim ac pondus omne sentiebat; qui causam videret unde proficiscebantur; intelligeretque maius etiam odium in se iamdudum fuisse conflatum eo, quod illis scriptionibus explicaretur. Quid autem? Censetne ullam aliquam severitatis et constantiae partem minuendam esse, quo iam armati hostes et ad omnia scelera paratissimi nonnihil furoris remitterent? Nihil minus faciendum esse statuit: ac si ullum umquam tempus fuit, quae omnia fuerunt, quo tempore Pius maximum esse se

et Pontificem, et Principem ostenderit; certe illud tempus est, ex quo Gallorum erupit palam perduellio.

Nota enim sunt et omnium laudibus celebratissima, quae ille tunc et ceperit consilia, et Principibus ut caperent suaserit: omninoque in summa omnium trepidatione metuque, communi totius orbis suffragio unus potissimum Pius Princeps omnium et maximus, et loco suo dignissimus existimatus est. At vero ab hac tanta magnitudine animi atque constantia quid sibi Pius polliceri posset, cum minae ipsae declarabant, tum Regis Christianissimi ac religiosissimi crudele et lacrimabile exemplum, et paulo post sequuta similis Serenissimae Reginae nex, et Regii Adolescentis ipsaque prima aetate nondum peccare docti interitus, et Regiae tenerrimaeque Virginis vix impetrata depulsio, internecioque Nobilitatis; et, quae dolorem augebat, si iam augeri poterat, Ecclesiae Gallicanae praeclarissimae excisio: et deiecti depulsique Episcopi, et trucidati Sacerdotes, profanata Templa, eversae Arae, direptae supellectiles, contusa et protrita Vasa, Sacra ipsa Mysteria (proh dolor!) proiecta, irrisa, despecta, proculcata. Haec erant, quae quemnam exitum habitura esset Summa Optimi et Maximi Pontificis Pii virtus et constantia non solum portendebant, verum ferro ipso et adhuc fumante ac exundante a cadaveribus sanguine conclamabant. Quae si Pius et unus omnium maxime vidit, et in sese potissimum expediri sensit, et tamen eam consiliorum suorum rationem semper et ubique tenuit, quae universo terrarum orbi admirationi fuit, et quam nunc acerbissima omnibus morte amissam esse, Patres Eminentissimi, lugetis; et luctus et doloris vestri testes non esse vultis, qui summo in luctu ob eandem causam sumus, unaque complorantem terrarum orbem

afferimus; quis demum erit qui agnoscere faterique ac commemorando summopere commendare non debeat, Pium Sextum Pontificem O. M. diu sese ad omne Martyrii genus informasse, parasse, erexisse, ac praestantissimum ad illud animum habuisse?

Quae quoniam adeo perspicua et manifesta sunt, ut nemo sit, cui dubitare liceat; illudne, Patres Eminentissimi, dubitandum erit, ne praestantissimo animo et ad omne martyrii genus informato, erecto, parato, martyrii nobilissimi occasio divinitus tributa defuerit? Nam si quis sit qui dubitare velit; is antea de hoc ipso loco, in quo nunc sumus dubitet, sitne alia, an illa ipsa augusta Vaticana Aedes, quo convenire comploraturi Pontificem debuissemus. Quid enim causae est, cur hic, non Romae sumus? Quid est quod animus, quod oculi quocumque se vertant, locorum novitate paene deterrentur ac concidunt, ac sibi ne veterem quidem lugendi morem relictum esse lugent? Adeone quemquam hebeti aut tardo esse ingenio posse, qui nec antea scierit, nec nunc meminerit, bonis nos fortunisque omnibus, domo, sede, patria, Roma per vim depulsos, eiectos, protrusos, proturbatosque fuisse? Hanc autem tantam cladem quaenam vel vestra, vel nostra crimina, Patres Eminentissimi, attulerunt? *Unum crimen est, et esse, et fuisse, et futuros esse Christianos.* Nam qui a Republica et ab ipsa Constitutione Legum, inaudito antehac scelere, omnem religionem depulerunt; satis hoc ipso patefecerant, quantus eorum animis inesset Christianae Religionis amor; viamque aperuerant, qua iudicare certissime ac sine errandi periculo possemus, tantum inesse quantum ab ipsa Constitutione cognosceremus. A fructibus enim eorum, Domino nostro Iesu Christo monente, cognoscendi erant. Qui fructus annon ii fuerunt, a quibus etiam inviti cognoscere de-

buimus, immanem a novarum legum auctoribus Philosophis adversus Iesum Christum coniurationem esse conflatam? *Qui non est*, inquit, *mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit* (1). Quis nunc mihi dicat, et probabili quadam ratione persuasurum esse speret, Philosophos aut depellenda Christiana Religione a Republica et Legibus cum Christo fuisse, aut eiiciendis undique dispergendisque Christianis cum Christo collegisse? Quae si adeo et vasta, et incondita, et ridicula sunt, ut homini qui sui compos sit venire possint in mentem nemini; fateamur oportet, ea quae Philosophi facere in negotio Religionis aggressi sunt, odio Religionis fuisse suscepta; vosque ipsos, Eminentissimi Patres, quorum plerisque omnibus Augustissimi et Christianissimi Caesaris nullis umquam saeculis ab hominum recordatione ac laudibus habitura pietas hoc asylum aperuit, huc a Philosophis odio Religionis fuisse compulsos. At enim hoc erit de vobis nobisque verissime iudicandum, qui hostium manus evasimus; de Pio Sexto dubitandum erit, qui postquam a Sede sua detrusus, detractus, divulsusque est, nullo non tempore illorum et furori patuit, et tandem immori crudelitate debuit? Quae demum erit, nisi haec est, summa et homine minime digna in iudicando perversitas, et temeritas? Quamobrem, quod est in primis necessarium ut esse martyrium possit, odium Religionis, hoc certum ita esse atque ab omni dubitatione remotum debet, in Pium Sextum explicatum omne fuisse, ut antea dubitare debeamus, fueritne umquam Pius Sextus, quam eane quae ferre et tolerare Pius Sextus debuit, odio Religionis in illum fuerint expedita.

Iam Martyrium quid proprie dicamus, etsi nemo est qui nesciat, dicendum est tamen beati Cypriani

(1) Luc. 18. 23.

magni et Episcopi et Martyris verbis; ne quis sit qui me velle abuti nomine arbitretur, et orationem ad laudem potius fingere, quam rectam ipsam et veram et ab omnibus agnitam ac laudatam rationem sequi. *Martyr,* inquit, *ut iis quoque notum est, qui graece nesciunt, testem sonat. Post exortam autem Evangelicae veritatis lucem Ecclesiastica consuetudo cognominis huius honorem proprie tribuere coepit iis, qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt in professione nominis Iesu Christi, et Evangelicum Instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos* (1). Ubi vix commemorandum censeo, quum appellari sanguinem audimus, nihil opus esse, ut distringi enses, expediri serras, acui sagittas, educi cultellos, secari venas, transverberari ventrem, fodi pectus, transfigi iugulum, abscindi caput, cetera fieri videamus, quae rivos ipsos sanguinis deducunt. Quot enim sunt et summi et sanctissimi Martyres, quorum a corporibus nullus effluxit cruor, ut ii quibus vel profundo aequore demersis, vel fame, vel frigore, vel exilio moriendum fuit? Quorum a laudibus si quis martyrii laudem detrahere conetur, is fateatur potius, se quos Ecclesia Martyres appellet, semper ignorasse. Sunt igitur haec ita nota omnibus et pervagata, ut ne ullius quidem egeant commemorationis. Quale autem nobilissimum dicturi martyrium rectissime verissimeque simus, annon vel si pueros ipsos interrogaverimus, id esse responsuri erunt, in quo et inferendae mortis perspecta et saepe oblata oculis fuerit voluntas et tormentorum ea vis fuerit quae acerbitate ac diuturnitate ipsa omnem modum vicerit; et qui necem attulerint, hi fuerint increduli: professio vero ipsa nominis christiani, obsignatioque evangelici instrumenti ea fue-

(1) Cyprian. de Dupl. Martyr. paulo post init.

rit quae vix parem umquam habuerit constantiam, et in miserrima rerum omnium desperatione non modo non deterrita sit, sed ne gemitum quidem emiserit; atque adeo incursu ipso et coacervatione malorum et maior, et promptior, et alacrior semper emerserit, nec sese, nisi morte intercidente, aut flexerit, aut remiserit, aut ullo modo desierit?

Quae omnia si Pio Sexto non modo non defuerunt, verum post tristissimum illum diem, quo Urbe et Sede sua vel eiectus, vel depulsus, vel abreptus, et abstractus est, usque ad ipsum illud extremum momentum, quo beatissimum spiritum nimis sero sibi, nobis autem heu quam nimis cito! exhalavit, sic abundarunt, ut sine lacrimis meminisse nullo modo possimus; quis demum non fatebitur, Ei nobilissimi Martyrii genus et decus divinitus fuisse tributum? Ac incredulos esse, quorum nefariis consiliis et sceleribus quaesita Parentis optimi mors est, et crudele patratum parricidium; ne ipsi quidem eorum auctores et adiutores negaturi sunt. Quis est enim qui nesciat usque adeo processisse perditorum hominum temeritatem, ut esse se incredulos glorientur, et ubique clament, ac in laude ponant? Itemque apud incredulos Optimi et Maximi Pontificis morte ac sanguine obsignatam Sacrosanctam Fidem fuisse; qui dubitare poterit, qui quidem scierit, beatissimum Virum ex quo Roma detractus est, eorum semper in manibus ac potestate fuisse, atque eo in solo mortem oppetere debuisse, ubi sedem ipsam ac domicilium incredulitatis, invita gente optima et christianissima, iamdudum statuere studuerunt? Quamobrem ut nobilissimi martyrii tum decus tum genus inveniamus, nihil erit praeterea quaerendum, nisi de interimendi Pontificis voluntate; de tormentorum ad interimendum vi, acerbitate, diuturnitate; de Pontificis alacritate, firmitate, constantia. Sed diuturnitas

ne quaeri de se quidem volet, aut ulla ratione feret. Illud enim a nobis iure postulatura est, utro a tempore ipsam dimetiri velimus; eone quo in sacrum Viri beatissimi corpus, an eo quo in eiusdem animum saevire hostium crudelitas coeperit? Et quamquam iustum esse clamatura sit, ut rationem utriusque habeamus temporis; tamen si tempus illud praeterire voluerimus quo acerbissima et gravissima et omni morte peiora vulnera Pontificis animo contemptu ac eversione religionis inflicta sunt ab hostibus, quae Martyrem magis animo quam corpore fecerint, et quod fere decennium est: hoc, quo corpus ipsius captum, afflictum, vexatum, et profligatum est, in oculos proferet omnium, et fere biennium fuisse conclamabit. Quod quidem tempus tormentorum sicui satis esse non videbitur, quo sibi persuaderi debeat, in Sene octogenario vicisse omnem modum; illum crudeliore atque immitiore animo esse, quam hostes ipsi fuerint, conqueretur. Cuius sane iustissimas querelas tum Vos, Eminentissimi Patres, quorum summa et singularis humanitas ubique gentium perspecta est, gravissimo iudicio vestro comprobaturi eritis; tum nos vestram comprobandi sapientiam collaudaturi erimus, et ad ceteras laudes vestras, quae summae omnigenaeque sunt, hanc etiam adiuncturi.

Erunt itaque reliqua quae hoc toto captivitatis ad usque mortem tempore perferre beatus Pater debuit, de quibus inquirendum erit, et quae in hanc contentionem venient, summa, necne sint, omninoque ea in quibus nobilissimi martyrii vim atque naturam collocare aut possimus, aut debeamus; ad quae iam properat oratio. Quamquam quae tanta esse potest aut ingenii vis, aut eloquendi facultas, quae Beatissimi Sanctissimique Patris iter, et itineri ac interpositis seu domiciliis seu carceribus quaesitas de industria,

et alias aliis additas superque cumulatas aerumnas et calamitates describere, atque in aures aliorum possit immittere; praesertim quum conferendae sint cum tota illa patientia, firmitate, alacritate, constantia, quam augustus Senex non tam verbis (nam et hoc virtutis et modestiae fuit) quam omni reliquo decoro statu corporis, et gestu, et nutu, et ipsa venerandi oris serenitate ac maiestate declarabat? Trahitur, monstrante viam immiti ac barbaro milite, maior octogenario venerandus Senex: et qui vix domi Suae vel sedens vel iacens tantulum quod vitae superesset ducere sine periculo possit, brumali tempore quum gelu et frigoris vi omnia vel intereunt vel ita labefiunt ut videantur interiisse, superare Apennini iuga cogitur, quae ne ipse quidem immitis et barbarus libenter superaret miles, nisi sitis interimendi venerandi Senis impelleret. It Pontifex tranquillo excelsoque animo sui securus, suorum salutis sollicitus; miraturque miles securitate ac negligentia vires Seni crescere: et qui sperabat extincti cadaver occulta inter montes ignobilique valle aut fossa posse deserere; miratur se ad Senas robustiore quam ante Pontifice pervenisse. Quid faciat? Nec enim temerare cruento parricidio sceleratas manus, etsi maxime cuperet, iubebatur; et iam eo itineris processum erat, ut Senas ingrediendum esset. Ingreditur; et spe capta, fore ut senio, aerumna, aegritudine confectus brevi occidat, parumper deserit. Pater, qui quos exitus moestissima tragoedia esset habitura magno videbat animo, maiore prospiciebat, ne quid ab exitu moestissimo Ecclesia detrimenti pateretur. Itaque et curare anxius Apostolicae auctoritatis elargitionibus, ut ne quid interea viris Catholicis deesset, et propagandae Sacrosanctae Fidei studio inflammatus nihil magis cupere, quam ut Sanctissimum de Propaganda Fide institutum Romae iam funditus ever-

sum et depulsum certam alicubi Sedem nancisceretur. Huius ego rei, Patres Eminentissimi, testis sum, qui sine lacrimis meminisse nequeo litterarum, quas ad me Pater optimus et suis collatis immortalibus beneficiis ter maximus dedit, quorum recordatio saltem (quando iam aliter non licet) gratissimum animum omni tempore meum habitura est. His igitur litteris et quam Patri Optimo cordi esset Fidei propagatio, tutela, defensio patebat; et constat quantum consolationis et delectationis ceperit, ubi Sacrum Institutum posse Patavii consistere intellexit. Reliqua cura de parando post mortem suam optimo Ecclesiae statu erat; ne temporum perversitate vel scissae oves verum Pastorem ignorarent suum, qua nulla alia maior potest esse calamitas; vel qui Pastorem deligere deberent, propter ipsam temporum miseriam et acerbitatem impedirentur legibus, quominus quod esset sui muneris et maxime cuperent, possent perficere. In quam rem omnium summam et maxime necessariam quas sollicitudines beatus Pastor contulerit; quos ego vel maiores vel digniores testes, quam vos ipsos, Eminentissimi Patres, appellabo, ad quos res tota pertinuit? His et aliis innumerabilibus pro Ecclesia sua curis occupatus magnus animus, corpore captivo, erat.

Sed qui extinctum volebant, querebantur secum ipsi taciti, decrepitum et semimortuum Senem non adhuc omnem mori. Quorum impatiens iam morae furor diu se cohibere non potuit. Ergo novum iter defatigato fractoque vetere itinere beato Seni parant; iamque Senis abeundum esse nunciant. Lupos sequi Pastor cogitur, quos iam non vis a grege depellere, non flectere pietas, non emollire commiseratio poterat; seque viae committit, Ipse intrepidus animo, illi trepidi ne non occidat. Sed quem statuerat Deus, nondum erat certaminis finis. Exhaustus Pastor, non extinctus,

ad Florentiam pervenit; et sacro quidem, sed ad omnem austeritatem instituto aptissimoque natura sua loco, semoto ab Urbe Carthusianorum monasterio ponitur. Ibi quid non tentatum est, ut tandem moreretur? Quis dicat et quoties, et qua feritate marinum iter, et in Sardiniam deportatio Illius auribus insonuerit, frustra iurantibus medicis, Pontificem non esse tolerando?

At illi etiamsi fortasse nollent et aliud obtentu quaererent, hoc magis instare, irasci, urgere: minis saltem et ipsa periculi opinione Pontificem interiturum. Quae spes dum fallit, novum tormenti genus et crudele quaeritur. Erat in misero miseri Senis comitatu suavissimus Nepos, is quem non tam praedones, qui nihil reliquerunt, quam teterrimae inimicorum calumniae depopulatae sunt. Nam Tu, Romualde Cardinalis Eminentissime, qui in hoc augustissimo terrarum orbis Senatu tam digne sedes, ut iucundissimo conspectu tuo casum Pontificis magnopere solemur, et quem Pontificis sollicitudo de imperio et religione Neapolim miserat; impeditis effuso tota Italia praedone itineribus, morienti quotidie biennium Seni nullo umquam adesse tempore potuisti. Ergo alterum, qui labanti Seni lacrimabile quidem, sed erat tamen unicum solatium, ab eo inaudita inhumanitate divellunt, pellunt, eiiciunt: si forte invictus animus et adhuc nulla re de suo statu deiectus, tandem amissione illorum quos caros et proximos habeat, ipsaque solitudine fractus et moerore confectus aliquando concidat et discedat. Qui casus utri acerbior et tristior, Senine, an Nepoti fuerit, anceps fuit: nisi quod vicit Senis constantia Nepotis pietatem. Postquam satis diu commoratum ad Florentiam est, nec piissimus Pontifex tolerando defatigabatur aut interibat, seque ipso maior quidquid erat spiritus et vitae id omne in gregis commoda et utilitates amantissime conferebat ac paene

exhalabat; alia tentatur ad cruciandum et occidendum via. Discedendum ab Hetruria est; et quo incommodius fiat iter, Bononiam versus eundum, simul ut raptatus per provincias quas paullo ante clementissimo imperio rexisset, cerneretur, ac ipsa rapti imperii quasi nova recordatione, et obtutu aerumnarum, in quas insani dominatus impotentia provinciam coniecisset, animus tandem caderet. Ac quam acerbus piissimo Patri aerumnarum esse debuerit obtutus, facilius est intelligere, quam oratione assequi. Nam rapti imperii recordatione non esse commotum, praeclare Bononiam ingressus patefecit. Accurrebant enim undique in viam qua trahebatur permixti et conferti viri, feminae, adolescentes, virgines, pueri, puellae; et qua sola ratione vix poterant, gestu et oris moestitia dolorem suum profitebantur. Ipse, quod unum poterat, benedictione solabatur miseros, et sacras ipsas manus oculosque in caelum attollens significabat, non dolendum, sed summi Dei voluntati acquiescendum esse. Brevi disceditur Bononia, properatoque itinere Parmam, paullo post hinc etiam esse discedendum nunciant.

Erat hoc tempore beatissimi Senis ea valetudo, ut quamquam sui semper securus et quasi negligens fuisset; tamen tunc etiam invitus intelligeret, non licere iam sibi assentiri nunciantibus nova itinera, quia iis ultro suscipiendis certam ipse sibi mortem consciret. Itaque se profecturum esse negat. Hostes responso magis inflammati clamant, omnino esse discedendum. Fidi quos secum Pater habuit, atque in his ut quisque dignitate ac auctoritate praestabat, nihil non omittere quo de sententia rapiendi amplius Pontificis discederetur. Iacebat lectulo venerandus, plus etiam miserandus Senex, morituro quam ituro similis. Advocantur medici, sententiam rogantur, statuant pro sua reli-

gione ac fide, quid fiet de Pontifice, si viae committatur. Detrahuntur Seni quibus tegebatur lintea, et sacrum illud corpus, quod vix satis digne ipsa Pontificia paludamenta tegebant, oculis ostenditur omnium; ne hoc quidem dato misero Seni ut erubescere liceret, quod ut sibi liceat etiam inhonestissimi quique homines palam postulant. Quemnam seu Scytham seu barbarum non commoveret miserabile spectaculum languentis et fatiscentis Senis, cuius corporis dimídiam et amplius partem fusa per artus ulcera depascebantur, et quem vivere tantum ab invicti pectoris difficili tardoque disci anhelitu poterat? Ergo collacrimantes medici iurare, caelum, terram testari non desinere, Pontificem si loco moveatur, omnino moriturum. Tunc miles etiam, quod permirum erat, visus est fuisse commotus; pactaque ad iter pecunia, iturum se pollicetur unde linquendi Senis veniam impetraret. At brevi, capta pecunia, sese iturum negat: sua nihil referre, qua esset valetudine Pontifex; viventem, an morientem, efferendum esse: id nisi iam concedatur, crimini tributum iri Serenissimo Hispaniarum Infanti Ferdinando, in quem et populum Parmensem, ultionem nec difficilem, et paratam esse. O crudelem hominis crudelissimi vocem, si quidem homo qui emisit, fuit! An nondum satis interimendi Pontificis cupiditas et libido constabat, nisi sono ipso tuo testis accederes? Nunciatur Pontifici (quam durus et moestus ille nuncius fuit!) nunciatur tamen, vim apertam esse: nisi discedatur, principem piissimum et religiosissimum, Parmenses ipsos et reliquam omnem ditionem in summo rerum omnium esse discrimine. Pontifex qui vim vel videbat, vel sperabat, vel etiam optabat, ut is esset exitus vitae quem maxime cuperet; vocat fidos suos, et (iubeat, an roget, incertum) *Quaeso*, inquit, *me hinc auferte, atque sustollite.* Succedunt sacrae Sar-

cinae collacrimantes fidi, quorum humeris labantia imponit brachia, et male fidis brachiis commendare exhaustum et caducum corpus nititur. Ut aegre, quantum potuit, incubuit, *Experiamur,* ait, *an promptum animum prompti sequantur pedes: magnum enim iter capessendum est.* Ac ut vidit, aegre, sed tamen pedes sequi, gravi serenoque vultu circumspiciens, *Manere,* inquit, *sine carissimorum periculo non possumus? vis est? eamus.* O singularem, et miram, et omni semper laude maiorem futuram Viri constantiam, etsi nulla umquam saecula conticescent!

Abit Parma venerandus Senex ab ipsis mortis faucibus ereptus, si forte alicubi mors fauces suas paratiores habeat. Ea vero longo itineri numquam adesse voluit: et iam Augustam Taurinorum perveniendum fuit. Hic quid praeterea moliatur incruenta crudelitas, quo mortem huc usque fugientem ac paene recusantem cogat; nisi ut Senem rupibus et cautibus Alpium obiiciat? Nam et Itali caeli iam appetens clementia spem augebat fore, ut inde ad nives, ad glacies, ad rigidissima Alpium frigora invectus et protrusus tandem occumberet. Ergo Alpes traiiciat senio confectus et semivivus Pontifex, Alpes, quae Imperatorem post hominum memoriam audacissimum et crudelissimum Carthaginiensem Annibalem vix non terruerunt; et quibus maius nunc nomen et diuturnius stabit ob recordationem crudelissimi itineris, quo Pius Sextus per eas ab audacissimo furore hostium raptatus est. Quis aut dicat, aut assequi cogitatione possit, quot quasque perferre debuerit aerumnas Pontifex, ante quam Brigantii inter horrida et inhospita sexa positus fuit? Aut quis potius prodigii magnitudinem non miretur, Senem id aetatis, hac valetudine, his aerumnis incolumem pervenisse? Quid ergo incolumem dixi, quem scimus, Eminentissimi Patres, eo quam antea

vividiorem ac rubustiorem appulisse; non secus ac plerisque acciderit Martyribus, quos testantur memoriae item ab ignibus erumpere potuisse? Sedet ergo incolumis Brigantii Pontifex, et satis valens, ut hostis fere iam desperet, occidi incommodis posse. Quid superest, nisi ut itinera itineribus accumulet, ac metum faciat, eo perveniendum esse, ubi lutulenta hominum faex Incredulitatis erexit Simulacrum? Quasi vero terreri invictus animus aut debeat, aut possit, etiamsi sciat, iterandum esse, atque adeo augendum abscissi Sacri Capitis exemplum! Ergo abitur Brigantio Gratianopolim, et quae coeperat magna esse optimae religiosaeque Gentis commotio statim ac Pontifex Gallorum fines ingressus est, maior evadit, progrediendoque vires acquirit. Nec longa Gratianopoli mora permissa est: iter brevi Valentiam instituitur.

Hic mihi quis digne describat, quae Deus carissimo sibi et omnibus Sacro Seni monstraverit initia triumphi, quem paulo post Valentia tandem in caelum ituro parabat? Videres concursantem undique gentem petere, scitari, quaerere, unde, quando adduceretur: videres confertam hominibus cuiusvis aetatis, sexus, dignitatis viam: videres, ubi quid insonuerit, trepidare, tremere omnes, ne forte nec opinantes praetergrediatur, nec intueri liceat: videres, omnes omnia malle quam Sacrum non videre Senem. Sed haec esse poterant ambigua, et ea quae non religio, non pietas, non ullus bonus animus; verum ipsa rei novitas natura sua proferret, excitaret, incenderet. Maius quiddam esse debet ac subitum suique tenax et constans, id quod alte infixos populorum mores, diuque probata consilia patefaciat; idemque omnia contemnat oportet, unde calamitas immineat. Inest enim in eo divina quaedam vis atque facultas, quae homines sese maiores efficiat; contemptuque rerum carissimarum et vitae sese ma-

xime prodit. Ecce autem affertur venerandus Senex: qui motus, qui cursus, quae gestiens hilaritas et mixtus hilaritati moeror! Optare quisque raptum a praedonibus imponere humeris, alioque melius abripere: hic dubius an insiliat, vestem interea ponit; ille vestem positam Seni pro itinere sternit, suam adiicit; hic in genua procumbit; ille quia vidit, se beatum praedicat; hic siquid e curru decidat quod carum ac sanctum servet, prospicit; ille si vocem audire liceat, captat auribus: non oculi, non aures, non ora, non artus denique omnium sibi ullo modo temperant, quin aliquid in Senem honoris causa conferant, aut ab eo pro solatio in posterum referant. In hac consensione ac quasi tumultuatione laetitiae, quae feminae viam ingredi pudore vetabantur, fenestras occupare, aulaea demittere ac pandere, fausta omnia Seni, sibi, regno precari: ac solers pudor virginum sentiens si procedat in viam, tueri sese optime numero posse; quingentas iungit, quae alba sumpta veste obviam Seni properant, venerabundaeque sternunt iter floribus, et intertextis sertis coronam ante commonstrant, quam brevi laeti Caelites sacro imponent Capiti. Haec dum fiunt, dum stupet raptor miles, aegre Valentiam perventum est. Inde aucto in dies vel ipsa inermi et muta Pontificis praesentia in Religionem studio; sentiunt sero Increduli, plus sibi esse ab uno semivivo Sene, quam a coniunctis Europae et Asiae viribus metuendum. Nec dubium quin verus esset futurus metus, ipsoque magno atque praeclaro et peroptato Genti eventu comprobandus; si quidem iratus Deus tunc esse malorum finem pateretur, ac beatum Senem Lutetiam Parisiorum attulisset. Verum dulci in suum Pontificem commiseratione permotus, ac fere iam, si posset esse, tristis; longo post martyrio ad coronam vocat: ipsaque mors, quasi dedignata moras Seni nectere, contenta

tribus ad vexandum corpus horae momentis, suadet ut serenus et postremum benedicat suis: tum filum abrumpit, ac triumphantem Senem suis ipsa manibus laeta vehit in caelum. O beate Senex, quam demum felix esse debuit haec tanta conversio, quum primum candidus insuetum olympi limen miratus es!

Quamquam, Patres Eminentissimi, subtacitum quoddam, nec satis explicatum tota Basilica murmur mihi audire videor; et, si recte interpretor, hominum est sese interrogantium, quorsum pertinebat funus parare Martyri, precarique Deum ut flammis eripiat eum, qui flammas nec viderit, nec senserit, nec ullo modo attigerit; quem colere potius institutis festis diebus decuisset? Quae sane reprehensio sese tueri gravissima auctoritate vestra videtur posse, qui funus et parari iussistis, et duxistis, atque hac solemnitate pompaque celebrastis, precatique rite pro Pontifice Maximo estis. Qui mihi homines, siqui sunt, videri profecto debent vel obliti esse, vel numquam didicisse quae Theologi, quae Doctores, quae Patres, quae tota ipsa Ecclesia de precibus pro mortuis tradiderunt. Quis est enim qui debeat nescire, bonorum quae precibus obtinentur, esse distributorem Deum; qui unus et qui egeant noverit, et quibus velit elargiatur; fierique saepenumero posse, ut precemur pro viro qui nullius egeat: quod ipsum precari tamen et iustissimum nobis et iucundissimum Deo est, quando in eo maxime fulget praeclara illa charitas, quam tantopere voluit esse commendatam? Quamobrem mirari desinant homines factum esse pro Martyre funus; ac potius considerent, annon iustissimum fuerit, Parentem optimum, quem viventem vix satis diligere potuimus, morientem extremis officiis prosequutos esse. Quamquam, Eminentissimi Patres, maius quiddam mihi, hoc celebrato funere, vestrisque precibus, videmini fecisse. Quis est enim qui

iam non intelligat, quam laetus, quam mitis, quam studiosus, quam in omnem charitatem effusus occurrere Pontifici suo Dei Filius et Deus, et Pontifex debuerit? Atque in primo ipso occursu vel homines ipsi quum optatos diu et amicissimos videmus; quis est qui nesciat, nihil esse antiquius quam alteri alterum id permittere maxime quod in reliqua tota vita carissimum et iucundissimum fuerit? Quamobrem quum Pius Sextus et ceteras virtutes sanctissime coluerit, et munificentiam in primis caram fereque propriam habuerit; an dubitandum est, quin Deus hoc illi statim tribuerit, ut quam opem a precibus expectare Ipse non debuisset, eam sua ipsa manu in illos conferret ac effunderet, quos in purgatorio igni carissimos haberet, ut eos secum in caelum eveheret? Quid esse aut tanto Deo, aut tanto Pontifice dignius potuit? Itaque laetamur et gratulamur vobis, Eminentissimi Patres, qui, celebrato funere, vestris ipsis precibus nihil Deo, nihil Parenti optimo iucundius facere potuistis.

Quid est ergo hac tota commemoratione itineris acerbissimi, quod eiusmodi sit, ut ab eo non extet, ac etiam nolentibus et repugnantibus sese non sponte offerat nobilissimi martyrii vis atque natura, quam quaerebamus? An de interimendi Pontificis voluntate dubitari poterit, quae non modo re factisque, verum ipso etiam expresso vocis et minime dubio sono ab hostibus explicata est? An de tormentorum ad interimendum vi atque acerbitate, quae nimirum tanta est quanta longissimo itinere, superato Apennino, traiectis Alpibus, biennio fere integro, in Senem octogenario maiorem, Roma Valentiam usque conferri ab hostibus immanissimis potuit? An de Pontificis alacritate, firmitate, constantia; cuius nec gemitus, nec querela ullo umquam tempore audita est, et qui prorsus ut agnus ad mortem ducebatur? Quae quando et per-

spicua et manifesta sunt, et odio Religionis increduli necem attulerunt, et Fides apud Incredulos Pontificis sanguine obsignata est: omninoque verissima sunt, quae divus Cyprianus de martyrio docuit; non est, Patres Eminentissimi, dubitandum, quin Deus Optimus Maximus nobilissimo Martyrio Pium Sextum augere ac honestare voluerit.

Sed ego veniam a beatissimo Sene deprecer necesse est, qui, commemorato praestantissimo animo nobilissimoque martyrio, ubi praeclarissimarum omnium virtutum summa esse debuit, et fuit; multo plura silentio praetergressus sum, quam dixi. Quem enim non terreret singularis ille virtutum ac plane divinus comitatus, quum Pius non parva, non mediocria, non magna, non summa ullo umquam tempore susceperit, quin eximia vis animi atque ingenii apparuerit excellentis omni laude virtutis? Quis illo cum semper tum in causa Religionis humanior, qui depulsos e Galliis et Episcopos et Sacerdotes ita complexus est ac iuvit qua potuit; ut non leve habuisse in eo ad aerumnas exsilii solatium fateantur? Quod quidem solatium quasi non contentus esset aut illis solis, aut tunc quum ipse in imperio floreret praebuisse; postquam imperio et Sede sua deiectus et pulsus est, sic bonis omnibus praebuit, ut nihil maius fieri potuerit. Quis est enim, qui propositis interque se comparatis incommodis, iis quae ferre quisque ac tolerare debuit, et iis quae Pius ad extremum usque vitae spiritum toleravit; non sentiat, se multo esse minoribus affectum, vexatum, afflictum; etsi, comparatione relicta, gravissima et summa esse viderentur? Est enim hoc unum calamitoso tempore miseris solatium, intelligere alios esse, quos maior aerumnarum vis presserit. Quo, miserrimo certe, sed tamen unico et necessario temporibus solatio, quis est qui magis omnes bonos, quam Pius Sextus

sit consolatus? Ipsa illa singularis et divina constantia, quae toto itineris tempore, ac quamdiu postea vixit, admirationi omnibus fuit; annon parem admirationem habuit, quum incolumi Roma, hostes minis et proxima vi quam armis essent allaturi, Pontificem impellere volebant, ut deleret abrogaretque omnia quae de Ecclesia Gallicana statuisset? Itaque iam tum dicebamus, Pium Sextum hac praeclara constantia sententiam de obeundo martyrio sibi obsignasse.

Sunt autem hae paucissimae de plurimis summisque virtutibus, quae commemorari debuissent, et quarum vel unaquaeque satis esse poterat ad magnam et iustam et debitam laudem ornandam: quibus si adiunxissemus eas, quas magis privatim coluit, et quas praeterire nequaquam licuisset; quemnam umquam exitum oratio fuisset habitura? Quis Pio in Principem Apostolorum studiosior, quis amantior? quem nimirum in Sacro illo Vaticano Templo videbamus solum, in genua provolutum, precantem ad multas horas, immotum, fereque extra se raptum. Quis in cognominem Pium V. Pontificem sanctissimum excitatior et promptior? Cuius Pontificis sanctissimi tantum apud nostrum valuit amor, ut nomen ipsum illius sumere voluerit; neglecta nescio qua vetere invidia in cognomentum Sexti conflata, quam Pius Sextus et vivens et moriens immortali gloria commutavit, ac nobilissimo martyrio prostravit et superavit.

Hae nimirum, aliaeque innumerabiles virtutes tuae, beatissime Senex, et multo longius tempus quam conceditur, et alium laudatorem peroptabant atque poscebant. Quamobrem oro obsecroque, ut quidquid potui, aequi bonique consulas, atque hanc mihi primum e caelo tribuere veniam velis, quod tuis dicendis laudibus et meritis parem non habuisti. Erunt qui tua diligentissime omnia persequentur; ipsaque dies multa

in lucem proferet, quae non inimicorum calumniae, non perfidorum odium, non hostium insolens audacia, non ullus amens furor tollere aut obliterare ab hominum animis et recordatione poterit. Te religio restitutorem suum appellabit, quam raptus per Italiam quacumque transeundum fuit, ipsa tua maiestate ac patientia cruciatuum excitavisti. Te Galliae pars, qua peragrandum ac moriendum fuit, consolatorem suum dicet; qui, traiectis Alpibus, non latrocinium, non rapinam, non caedem, non vastitatem attulisti; sed veterem religionem iustitiae, innocentiae, pacis, tranquillitatis sedem ac domicilium, exterritam et paene iam fugientem revocasti. Te progrediente, reliqua Gallia timore ac pallore suo fatebitur, incredulitatis simulacrum contremuisse. Te semper Europa, te Asia, coniunctis in salutem tuam armis, Virum omni fuisse admiratione maiorem testatura est; nec feliciores habuisse proeliorum, aut diuturniores exitus, quam ab eo die quo simul et cinctus milite ad Florentiam fuisti, et ad Veronam pugnatum est. Te orbis terrarum universus, quo nomen tuum novitate miraculi et sceleris non permeare non potuit, semper celebraturus est. Te Episcopi, Te Sacerdotes, Te Virgines Sacrae, Te omnes boni, Te tota semper Ecclesia Parentem optimum et Martyrem maximum appellabunt, ac Nomen volent immortalitati donatum ac consecratum. Ipsa certe Ecclesia vix aliter poterit quas summas debet, agere Deo gratias, quod Te tamdiu viventem ac salvum sibi reliquerit, quamdiu non exstincta sitis hostium fuit sacrosanctum Ipsius pectus foedo teterrimoque schismatis vulnere lacerandi. Ergo habeas, Beatissime Pater, haec vota et laetus aspicias, quorum magnitudine tenuitatem et ingenii et orationis excuses: ductoque a me initio, Ecclesiam quam sanguine tuo tutatus in terris es, nunc ope tua de caelo tuere, libera, salva.

INDEX

IN ACTA PII VI P. M.

QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR

---

*

APPENDIX

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM

QUAE DUOBUS HISCE VOLUMINIBUS CONTINENTUR.

A

C

E

H

I

L

M

O

P

T

U

V

Superiorum permissu.

ERRATA CORRIGE

Vol. I. pag. 365. lin. 29. *Borgia* addendum: *mandatum duobus Cardinalibus praedictis, ut de praemissis in solidum rogentur.*

Vol. II. pag. 182. lin. 22. ubi dicitur: Pro Christo in Gallia exulantibus, legendum est: *in Anglia exulantibus.*

Cetera quae aut minoris momenti sunt, aut nostram fortasse diligentiam fugerunt, ipse per se Lector deprehendet et corriget.